
3 1761 06634896 2

C. Dziatzko.

Recens. von Le. (Lorenz) in Lit. Centralbl. 1884 No 2 S. 57–59. Er findet das aufge. Princip, dass Ter. alterthüml. Formen vermeide und nur an gewissen Versstellen zulasse, auf Spitze getrieben: Es hätte heissen sollen: Ter hat i. allg. wenig alt. Formen; bei einigen lässt [illegible] eine gewisse Gesetzmäss. d. Anwendung beobachten.

Angez. (von Wölfflin ?) in Arch. f. lat. Lex. I 135 f: Vermisst wird p. 136 exporge (Ad. 839), a[...] riare expur. bei Pl., aber nicht bei Ter. vorkommen. desgl. dare in Ph. 44 Ad. 246; causim prorin[...] zum u. Comp.; istorsum, horsum

Rec. v. E. Hauler (EH.) in Phil. Rundsch. 1884 No 22 (S. 677–688): vermisst Bemerk. zu adiuerit, dancolum, cedre, grandiculа, vocivus (p. 680)

Herrn Prof. Dr. Carl Dziatzko
in tiefer Verehrung u. Bewunderung
der Verf.
Wien IV Belvederegasse 12.

STUDIA TERENTIANA

SCRIPSIT

AUG. (GODF.) ENGELBRECHT.

VINDOBONAE
SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GEROLD FILII
MDCCCLXXXIII.

STUDIA TERENTIANA

SCRIPSIT

AUG. GODF. ENGELBRECHT.

VINDOBONAE

SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GEROLD FILII

MDCCCLXXXIII.

CAROLO · SCHENKELIO

PER · QUINQUE · LUSTRA · ANTIQUARUM

LITTERARUM · PROFESSORI · ACADEMICO

AUGUSTUS · ENGELBRECHT

GRATULABUNDUS

I.

DE PRISCIS ATQUE OBSOLETIS VERBORUM FORMIS APUD TERENTIUM CUM PLAUTI DICENDI GENERE COMPARATIS.

Sermonis Terentiani puritatem omnibus temporibus magni aestimatam esse et Casaubonum suo iure dixisse[1]: 'nemo latine loquetur bene, qui Terentium non contriverit', ad unum omnes opinor concedunt. Attamen sunt qui comoedias Terentianas obsoletis verborum formis et priscis vocum terminationibus implere certent et quod Plauto vindicandum esse viri docti statuerunt, idem Terentio attribuere non dubitent. Atque eiusdem studii reprehensionem vel summus Bentleius vix potest effugere, qui saepius formas vetustas a magistris puerorum causa immutatas sibique genuinas restituendas esse opinatus sit, contra autem formas ipso libro Bembino suppeditatas, veluti 'necessus, hisce (nom. plur.) sim.', a poeta abiudicaverit. His ipsis autem diebus qui 'Epistulam Plautinam' plus uno nomine quae legatur dignam inseruit Mus. Rhen. XXXVIII (1883) Fr. Leo 'abaetere' non magis verbum Plautinum quam Terentianum esse statuit (p. 24). Quae ratio quam periculosa sit, unusquisque statim intelleget, qui accurate pensitatis iis, quae veteres ipsi de Terenti dicendi genere iudicaverunt, formas priscas a Terentio adhibitas omnes collegerit collectasque accuratius perlustraverit. Tantum enim abest ut Terentium hac in re Plauti imitatorem deprehendamus, ut eum in universum formas volgares et rusticas, quae plerumque priscae esse solent, respuisse vel certe non sine causa adhibuisse facile nobis persuadeamus.

---

[1]) Cf. Annal. gymn. Berolin. V (1851) 274 adn. 2.

Quodsi hanc imprimis quaestionem tractandam susceperim, vix puto quisquam mirabitur, qui quam manca harum rerum sit notitia intellexerit. Ex quo enim Fr. Umpfenbachius editionem P. Terenti apparatu critico quantum satis instructam in lucem emisit, non defuere qui copiis ab illo suppeditatis ad poetae verba emendanda haud frustra uterentur: sed singulares quaestiones, quibus de proprietate sermonis Terentiani cum Plauti dicendi genere comparati ageretur, fere omnino deesse conquestus est inter alios Leop. Arm. Fischerus in dissertatione 'De Terentio priorum comicorum latinorum imprimis Plauti sectatore quaestiones selectae' (Hal. Sax. 1875) p. 40 neque tamen ipse quicquam contulit ad rem enodandam. Quamvis enim paucas verborum formas vetustas fabulas Terentianas, cum in Plauti comoediis esse plurimas consentaneum sit, praebere p. 51 contendat, tamen quoad pateat hic usus, his tribus verbis indicasse satis habet: 'ipsus, duint, tetulissem'. Neque vero quaestionem, quam sumus instituturi, satis sublevat Albertus Roenspiessius dissertatione Ienensi 'De coniugationis latinae formis apud Terentium earumque origine' inserta programmati Culm. 1873. Ut enim omittam fere innumerabilibus typothetae erroribus in indicandis actuum scaenarum versuum numeris libelli usum impediri, etiam scriptorem maximae neglegentiae accusemus necesse est, qui locos neque accurate neque omnes enumeraverit, ita ut libelli utilitas nobis fere nulla esse videatur. Ac primi in rem, de qua agere in animo est, inquirentes Conradtius in Hermae vol. X 100 sqq.: 'Ueber einige Eigenthümlichkeiten des Versschlusses bei Terenz' et O. Schubertus in progr. Vimar. 1878: 'Symbolae ad Terentium emendandum' p. 15 sqq. Terentium nonnullas vocabulorum formas vetustas in certis versuum sedibus adhibuisse demonstraverunt neque vero quemquam illorum studia redintegrasse memini. Iam si addis ea, quae de una alterave re modo sat breviter modo paullo plenius attulerunt ii, qui fabulas Terentianas commentariis illustraverunt, inter quos in primis nominandi sunt C. Dziatzko et A. Spengelius, habes quidquid usque

adhuc e materia quae fusius tractetur digna delibaverunt viri docti. Quae cum ita sint, haud inutile puto me acturum, si rem nondum satis exploratam [2]) tractaverim, ut tandem omnes eius modi formas sub uno conspectu perlustrare liceat.

Sed priusquam de vetustis vocabulorum formis ipsis agamus, pauca quae ad rem faciunt de poetae aetate, vitae condicione, dicendi genere breviter exponamus.

Salvatore Belli in commentatione 'Sulla patria del Terenzio poeta comico' (Atti dell' Academ. Roman. di Archeolog. XIV) Terentium propter sermonis elegantiam Romae natum civemque ingenuum fuisse demonstrare studebat (l. c. pp. 139 et 154): neque enim potuit sibi persuadere tantam sermonis puritatem esse cuiusquam Romae non nati. Cui ratiocinationi quamvis non adstipulemur, tamen puerulum perpaucorum annorum Terentium Romam venisse verbis, quae initio vitae e Suetoni de poetis libro depromptae leguntur, apparet: 'Publius Terentius Afer Carthagine natus serviit Romae Terentio Lucano senatori, a quo ob ingenium et formam non institutus modo liberaliter, sed et mature manu missus est.' Iam quo pacto Romam venerit, nihil ad nos attinet, sed si prima infantia et sermonis patrii nondum peritum eum in senatoris Romani domo liberaliter institutum esse reputamus, poetam Afrum sermonem latinum ab omni peregrinitate alienum addiscere potuisse facile intellegimus.

Sed iam veteribus ipsis vel ut accuratius dicam poetae aequalibus ille nativus fere, non ascitus sermonis lepos mirabilis

---

[2]) Cf. P. Langen, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus (Lips. 1880) in praef.: 'Zwischen Plautus und Terenz liegt eine Reihe von Jahren der reichsten Sprachentwicklung, welche sich auf die Formen, den Wortschatz, die Wortbedeutung und Syntax gleichmässig erstreckt. Zudem bewegt sich Plautus in der Sphäre des gewöhnlichen Volkes ...., Terenz dagegen verkehrte in dem Kreise feingebildeter Männer ... Die Sprache des Terenz ist in Folge dessen weit mehr von der des Plautus verschieden, als man gewöhnlich anzunehmen geneigt scheint'. (Cf. etiam quae idem vir doctus nuper scripsit in Fleckeiseni Annal. 1882 p. 673). Eodem modo iudicat H. Iordan, kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache (Berol. 1879) p. 335.

videbatur, quam ob rem, cum amicitia coniunctus esset Terentius cum viris nobilissimis Scipione Africano et Gaio Laelio, ab his comoedias Terentianas scriptas esse rumor erat; cf. Cic. ad Attic. VII 3, 10: 'secutusque sum, non dico Caecilium:

mane ut ex portu in Piraeeum

— malus enim auctor Latinitatis est — sed Terentium. cuius abellae propter elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi.' Vita Terenti (Sueton. ed. Reifferscheid p. 32, 2): 'Nepos auctore certo (?) comperisse se ait C. Laelium . . . . dixisse non saepe in scribendo magis sibi successisse: deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronuntiasse versus qui sunt in Heauton timorumeno:

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.'

Ibid. (p. 30, 14): 'C. Memmius in oratione pro se: Publius Africanus, inquit, a Terentio personam mutuatus quae domi luserat ipse nomine illius in scaenam detulit.' Auctar. Donati (p. 35, 4): 'Scipionis fabulas edidisse Terentium Vallegius [de nomine cf. l. c. p. 528 sqq.] in actione ait:

Tuae quae vocantur fabulae cuiaene sunt
Terenti? non has iura qui populis dabat
Summo ille honore affectus fecit fabulas?'

Quintil. X 1, 99: 'licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur: quae tamen sunt in hoc genere elegantissima'. Denique Santra (vit. p. 31, 10) non Scipionem et Laelium qui tum adulescentuli fuerint[3]), sed C. Sulpicium Gallum, Q. Fabium Labeonem, M. Popillium Terentio in scribendo adiutores fuisse tradit.

Terentium autem ipsum de hoc rumore edoctum fuisse his versibus apparet: Adelph. prol. v. 15 sqq.:

'Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Eum adiutare adsidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens esse existimant,

---

[3]) Cf. Sauppe, Nachrichten der Götting. Gesellsch. 1870 p. 119.

Eam laudem hic ducit maxumam, cum illis placet,
Qui vobis universis et populo placent,
Quorum opera in bello, in otio, in negotio
Suo quisque tempore usus est sine superbia.'

Hautontim. prol. v. 22 sqq.:

'Tum quod malevolus vetus poeta dictitat,
Repente ad studium hunc se applicasse musicum
Amicum ingenio fretum, haud natura sua.'

Qua de re multa disputata sunt et nuper Ioannes Vahlenius (Annal. academ. Berol. 1876 p. 797 sq.) totam rem fictam e duobus illis prologorum locis esse demonstrare conabatur. Sed licet concedatur eos, qui de hac re verba faciunt eamque nostrae memoriae tradiderunt, nihil aliud habuisse cognitum nisi quod nos quoque e duobus illis prologorum locis coniectando possumus efficere, tamen hi loci ipsi rem tam aperte significant, ut equidem ingenue fatear me non posse amplexari Vahleni sententiam. Ceterum quidquid de hac re iudicandum est, nostra tantummodo refert ex hoc rumore luce clarius redundare Terenti sermonem vel Scipionibus et Laeliis dignum esse habitum.

Nunc videamus, quibus potissimum causis commoti veteres Terenti genus dicendi tantis efferant laudibus.

Ac Cicero praeter locum supra iam allatum, quo elegantiam sermonis laudat, in Limone (vit. Ter. p. 34, 1) haec habuit:

'Tu quoque qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque latina voce Menandrum
In medium nobis sedatis motibus affers[4])
Quiddam come loquens atque omnia dulcia miscens.'

Cui versui novissimo quem e Ritscheli recensione dedimus nescio an melius, quod quidem ad sensum attinet, consulatur, si scribamus cum codicibus:

'Quiddam come loquens atque omnia dulcia dicens.'

---

[4]) Ritschelius in Mus. Rhen. XV, 628 pro 'effers'.

Etiam Bergkius (Philol. XVI 633) sine causa idonea 'come fluens' scripsisse videtur. Voluit enim Tullius dicere facetum dicendi genus Menandri hic illic, urbanum ubique expressisse Terentium, quam ob rem utroque loco dicendi verbum est aptissimum.

Porro Ausonius id. IV protrept. ad nepot. v. 58 sq. habet:

'Tu quoque qui Latium lecto sermone Terenti
Comis et astricto percurris pulpita socco etc.'

Deinde etiam Velleium Paterc. I 17, 1 sermonem respexisse puto dicentem: 'dulcesque latini leporis facetiae per Caecilium (?)[5] Terentiumque et Afranium suppari aetate nituerunt', nam etiam Afrani sermonem in universum fuisse purum atque elegantem docuit Teuffelius in progr. Tubing. 1858 p. 42. Inde iam apparet, cur Afranius dixerit in Compitalibus (29 Ribbeck.):

'Terenti numne similem dicent quempiam?'

Atque his locis omnibus Terenti lectus atque elegans sermo laudatur. Porro C. Caesar (vit. p. 34, 7) sic iudicavit:

'Tu quoque in summis, o dimidiate Menander,
Poneris et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis
Comica ut aequato virtus polleret honore
Cum Graecis neve hac despectus parte iaceres.
Unum hoc maceror ac doleo tibi desse, Terenti.'

Verba 'dimidiate Menander' primus recte interpretatus est Beckerus (De comicorum Romanorum fabulis quaest. [Lips. 1837] p. 82 not.): puro sermone aequalem esse Terentium Graeco poetae, non item vi ac virtute comica; cf. etiam Ritschel. l. c. p. 525. Neque quicquam aliud spectare Horatium epist. II 1, 59:

'vincere Caecilius gravitate, Terentius arte'

notum est. Eodem modo interpretandus est locus Serv. ad Aen. I 410, qui in explicanda differentia verborum 'incusandi' et 'accusandi' haec profert: 'et hoc proprietatis est, licet usus male ista corrumpat. sciendum tamen est Terentium propter

[5]) De suspecta Caecili Latinitate vide infra quae disputabimus.

solam proprietatem omnibus comicis esse praepositum, quibus est, quantum ad cetera spectat, inferior'. Denique Varronis sententiam Gellius (VI [VII] 14, 6) servavit: 'vera autem et propria huiusce modi formarum exempla in latina lingua M. Varro esse dicit ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium', ubi mediocritatis verbum non sensu reprehensionis accipiendum est, cf. Eichstädt, quaest. philol. spec. VII: De vocabulo mediocritatis [Ienae 1842] p. 7 (= Opusc. orat.[2] 585 sqq.), qui apte ad Cicer. de off. I 25, 89: 'mediocritatem illam, quae est inter nimium et parum', ib. II 17, 59 etc. nos delegat. Iam si Varro hoc loco principem comoediae, ut Pacuvium tragoediae Luciliumque saturae, Terentium laudat, facile id eum dixisse sermonis respectu habito patet. Debet enim esse tragoediae oratio uber, saturae gracilis, comoediae mediocris. Ceterum Gellius ipse paullo post illud mediocre dicendi genus appellat 'mixtum moderatumque'.

Iam quoniam enumeravimus quotquot de elocutione Terenti testimonia apud veteres scriptores exstant, breviter quid inde ad quaestionem nostram redundet comprehendere liceat. Ac tribus potissimum causis poetae oratio laudibus extollitur: primum quod lecta atque elegans, deinde quod pura, denique quod mediocris est, quas laudes uno verbo comprehendere licet, si sermonem urbanum simulque familiarem, ut decet poetam comicum, si sermonem hominum litteratorum repraesentare contendimus Terentium. Contra in Plauti elocutione sermo plebeius et volgaris facile agnoscitur, idemque sine dubio spectavit Cicero l. c. Caecilium, quem primo inter comicos posuit loco Volcacius Sedigitus, malum auctorem Latinitatis dicens. Iam si tam acerbum tulit iudicium Cicero de Caecili sermone[6]) cum Terentiano comparato, quem quasi magistrum ac patronum Terenti fuisse scimus (Ter. vit. 2, Ritschel. parerg. 329 adn.), sine

---

[6]) Cf. etiam Brut. 74, 258: 'Caecilium et Pacuvium male locutos videmus'.

dubio etiam inter Plauti et Terenti sermonem maximum discrimen [7]) interesse ei videri debebat.

Ac quanti aestimaverit Cicero Terenti sermonem urbanum etiam altero me demonstrare posse loco puto. Etenim in Oratore (47, 157) de rebus grammaticis disputans postquam veteres poetas perstrinxit, quod inusitate in certis quibusdam vocibus genctivos in -um pro -orum exeuntes adhibuerint, Terentio quasi duce ac signifero sermonis puri et latini [8]) utitur et sermonis usum Terenti auctoritate comprobasse satis habet, id quod his verbis apparet: ʻquasi vero nesciamus in hoc genere (scil. novisse, nosse et sim.) et plenum verbum recte dici et imminutum usitate. Itaque utrumque Terentius' et paullo post: ʻsiet plenum est, sit imminutum: licet utare utroque', quod exemplo Terentiano denuo comprobat Cicero. Itaque etiam Brut. 74, 258 Terentium in primis respexisse Ciceronem dicentem: ʻcuius (sc. locutionis emendatae et latinae) penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut scientiae, sed quasi bonae consuetudinis. Mitto C. Laelium P. Scipionem. Aetatis illius ista fuit laus tamquam innocentiae sic latine loquendi: nec omnium tamen, nam illorum aequales Caecilium et Pacuvium male locutos videmus', mihi certum est. Itaque vellem alio argumento usus esset Fr. Leo l. c. p. 11, quo ʻearumpse' Terentium dixisse comprobaret, atque hoc: ʻTerentium his formis nondum abstinuisse, sed grammaticorum opera et librariorum factum esse, ut codices Terentiani eis careant, ct Caecilii et Pacuvii exemplum docet' Etenim quod Caecilio Pacuvioque licuit, non item sibi condonasse Terentium Ciceronis verba docent.

Quid igitur mirum, si Terentium voces rusticas et priscas,

---

[7]) Off. I 29, 104 Cicero de Plauti iocandi (non dicendi) genere eleganti, urbano, ingenioso, faceto verba facit. At cf. de orat. III 12, 45: ʻequidem cum audio socrum meam Laeliam — facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant . . — sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire', quae verba vetusti sermonis laudem continent.

[8]) Cf. etiam Lael. 24, 89: ʻquoniam Terentiano verbo lubenter utimur'.

quibus Plautus plebem sibi conciliavit, in universum respuisse aut eis non usum esse nisi certis causis commotum statuimus? Inde autem apparet restringendum esse Ritscheli iudicium (proll. in Trinumm. p. CXLIII adn.): 'quam autem multa, quae prisca sibi Latinitas vindicat, iam Plautina aetate non potuerint non obsoleta esse, intellegi vel hoc argumento potest, quod multitudinem Plautinarum formarum ipsa Terentiana aetas repudiavit vix viginti annorum intervallo a morte Plauti distans'. Quae sine dubio ex parte quidem recte se habent, sed simul reputandum est multis formis Plautinis ne tum quidem Terentium usurum fuisse, si viginti annis ante scripsisset, dico formas plebeias, quippe quae quamvis neque Terenti aetate obsoletae essent, tamen non convenissent sermoni Romanorum litteratorum a Terentio expresso. Cavendum igitur est, ne praepropere hanc illamve formam a Terenti aetate alienam eam ob causam putemus, quod poeta eam non adhibuit. Namque multas formas etiam post aetatem Terenti reperiri — cuius rei exempla luculentissima fragmenta comicorum posteriorum suppeditant — quas ipse nusquam adhibuit, argumento esse debet poetam in sermone latino quodam modo novarum rerum studiosum fuisse atque id in primis egisse, ut ubi fieri posset sermonis volgaris speciem effugeret et formas novas, quae tum a comoedia alienae erant, antiquatis sed in sermone comicorum adamatis praeferret. Atque id consilio sese fecisse[9]) Terentius ipse testatur et gloriatur in Haut. prol. v. 46:

'in hac est pura oratio...'

Sed restat difficultas quaedam, quam hoc loco non possumus silentio praeterire. Iure enim aliquis obiciat certum

---

[9]) Id poetae collegae et adversarii, qui comoediae sermonem minus elegantem et magis gravem esse voluerunt, crimini ei verterunt, ut mihi apparere videtur e Phorm. prol. v. 4 sq.:

'. . . . quas antehac fecit fabulas
Tenui esse oratione et scriptura levi'.

atque omni ex parte iustum ferri non posse iudicium, utrum Terentius hoc illove loco forma vetusta usus sit necne, cum fabulas Terentianas post poetae mortem plus minus retractatas esse ab eis, qui illas aut acturi aut daturi essent, consentaneum sit [10]) et luculento demonstretur exemplo alterius Andriae exitus. Neque ego is sum, qui poetae manum nos posse vel in verborum apicibus recuperare sperem et quodam modo iustam fuisse Bentlei suspicionem de magistris puerorum causa sermonem Terenti 'emendantibus' negem. At si reputamus Plauti fabulas, quamvis et eae ad usum posterioris aetatis accommodatae sint, tamen et ipsas refertas esse ac scatere formis vetustis etiam in libris manu scriptis traditis et posse augeri eius modi formarum numerum in servatis quoque comoediis e veterum glossographorum copiis, aliter de Terenti sermone iudicandum esse apparet, cum ne glossographi quidem formas vetustas nobis suppeditent, quas non ex librorum manu scriptorum vestigiis expiscari liceat.

Sed ne in aliam partem ac dicta sunt verba mea accipias, scito me haud ignorare, quantillae auctoritatis sint codices in conservandis formis grammaticis, et mihi quoque rationem centum codicibus potiorem esse: at si Terentium praeter ceteros lectitatum formasque vetustas certe inde a M. Varronis temporibus diligenter enotatas esse in propatulo est, haec ipsa ratio suadet, ut nos contineamus intra fines, quibus miro consensu et veteres grammatici et codices formarum priscarum usum Terentianum circumscribunt. Itaque pro certo affirmare ausim *iam M. Terenti Varronis Reatini temporibus fabulas Terentianas, quod quidem ad formas vetustas attinet, ita fere fuisse lectitatas, ut nunc habemus.* Porro, ut ingenue fatear, iam non amplius dubito,

---

[10]) Cf. Ritschel. proll. p. CXVIII: 'non quaeram nunc utrum asperiores sibi quam Plautus numeros Terentius indulserit, an huius comoediae ut studiosius etiam quam Plautinae et lectitatae et a grammaticis tractatae maioris integritatis speciem mentiantur tantum, reapse adeo graviorem interpolationem passae sint: quod ut credam, non leves me causae movent.'

quin Terentius ipse formarum priscarum non adeo magis amans fuerit, quam quem fuisse nobis e testimoniis nostris licet suspicari. Nimirum si iam veteres lectum elegantem purum Terenti sermonem celebrasse nemo non potest sibi persuadere, apparet eis qui poetae fabulas retractandas curabant, omnino non fuisse necessarium antiquitatis speciem in formis vetustis conspicuam delere, quippe cum poeta ipse quantum fieri posset sese ab illis consulto abstinuisset.

Haec igitur praemittenda putavi quaestioni de priscis ac vetustis apud Terentium formis, quam ita iam sumus instituturi, ut illas formas enumeremus simulque in illustranda Terenti scribendi arte demonstremus vel potius inquiramus, quibus causis permotus poeta hoc illove loco formam ut nobis videtur obsoletam adhibuerit — nam plerumque non sine causa eas adhibitas esse, ex eis quae supra diximus, iam nunc, quamvis singulos nondum examinaverimus locos, magna cum probabilitate concludi posse videtur.

Sed iam singulas formas secundum orationis partes quae dicuntur digestas enumeremus.

NOMINA SUBSTANTIVA.

I. De declinatione qua stirpes in -a desinentes continentur.

De tritissimo genetivo Ad. 747: 'mater familias' non est quod plura verba faciam, sciunt enim hanc formam iam pueri vel mediocriter eruditi. Alios autem genetivos in -as ne apud Plautum quidem exstare olim contenderat Ritschelius proll. p. CCCXIX; sed vide 'Neue Plaut. Excurse' p. 115 et Gandino, Studi di Latino antico I. Del genitivo -ās dei temi femminili in -ā nella lingua latina e specialmente nella lingua di Plauto. Torino 1877.

De voce 'intervias' quae legitur Eun. 629 cf. Buechelerus, Grundriss der latein. Declination ed. II p. 63 et quae contra Buechelerum disputavit Henr. Iordanus, kritische Beiträge etc. p. 271 sqq.

Formas genetivi in -āī distractas codices neque Plautini [11]) neque Terentiani praebent. Attamen eas Plauto vindicandas esse omnes viri docti consentiunt, quamquam verissime monuit Buechelerus l. c. p. 64 haud ita frequentem apud scaenicos earum fuisse usum. (Brixius ad Trinumm. 359 viginti fere quinque, Lorenzius ad Mil. 84 quattuordecim locis formam in Plauti comoediis legendam esse statuerunt.) In Terentio quinque locis Bentleius formam reponebat Andr. 439: 'hospitai', Haut. 515: 'Cliniai', ib. 893: 'sponsai', Phorm. 597: 'Phaedriai', Hec. prol. I 1: 'fabulai'. Atque ex parte saltem ei assensus est Lachmannus ad Lucret. III 374. Primus eius modi genetivos a Terentio abiudicavit Ritschelius proll. p. CCCXXV sqq., quem secutus est inter plerosque Buechelerus. Ac ceteros locos a Bentleio temptatos praetermitto, de quibus hodie nemo dubitet; unus tantum versus, est autem Haut. 515, medellae a Bentleio adhibitae quandam veri speciem afferre videtur:

'Num mé fefellit hósce id struere? vídelicet
Ille Clíniai sérvos tardiúsculus est'.

Nihil enim mutavit vir sagacissimus, nisi quod ut versum efficeret 'Cliniai' pro 'Cliniae' scripsit. Contra Ritscheli emendatio, qui addita voce 'quia' et verbis transpositis scripsit 'quia Cliniae ille servos etc.', mihi non satisfacit neque possum hac certe in re reprehendere Umpfenbachium, qui Bentleium quam Ritschelium sequi maluerit. At egregie Brixius (ad Trin. 359) locum sanasse videtur scribens: 'ille adulescentis servos tardiusculust', nam ita loqui Terenti fuisse, complures comprobant loci, e quibus hi sufficiant Haut. 530: 'istum servolum dico adulescentis', v. 546: 'at te adiutare

[11]) Nisi quod Poen. prol. 51 BC praebent 'comoediai' (vel potius 'comoediais inodiosi' pro 'comoediai sin odio est').

oportet adulescentuli causa', Andr. 466: 'bonum ingenium narras adulescentis', Phorm. 731: 'ita patrem adulescentis facta haec tolerare audio violenter' alii multi.

Quae cum ita sint, neque ego formas distractas a Terentio abiudicare dubito. Ceterum praeter Ennium, Plautum, Lucretium etiam Ciceronem Vergiliumque eas adhibuisse notum est (cf. Neue, Formenlehre I² 11).

II. De declinatione quae stirpes in -e exeuntes complectitur.

Dativi in -ē exstare videntur eosque Fleckeisenius restituit, quamvis in codicibus vestigia non supersint:
Andr. 296: 'bona nóstra haec tibi permítto et tuae mandó fide',
Eun. 886: 'ego mé tuae comméndo et committó fide',
ibid. 898: 'recípere posthac? Cúr non? Crede hoc meaé fide.'

Genetivum ita exaravit Haut. 1002 (ed. Berol. 1872) Wagnerus, ut ordinem quo singula verba in A sese excipiunt servaret: 'eum míhi precatorém paro: seni nóstro fide nil hábeo', sed num -e littera corripi potuerit valde dubito, quam ob rem cum Bentleio et Fleckeisenio 'nil fidei (s. fide) habeo' scribendum est. Sunt qui etiam Eun. 801 scribant: 'fáciam ut huius locí dieque meíque semper mémineris', quamquam equidem homoioteleuton figuram 'dieique meique' delendam non putaverim. Idem versus legitur Plaut. Capt. 800 verbis 'loci dieique' transpositis.

Ac quamvis fortasse lubricum videatur certius quid statuere, cum non solum codices, quamquam hos nulla esse auctoritate exemplo perbello docuit Buechelerus (l. c. p. 67), verum etiam veterum testimonia Terentiana nihil ad rem diiudicandam suppeditent, tamen cum e. g. omnibus locis — exceptis paucis illis quibus metri necessitate coactus in fine versuum iambicorum 'rĕī' dicere poeta debebat — sit pronuntiandum rei, spei, haud absonum est in vocibus monosyllabis simplici littera -e [12]) uti. Apud Plautum certe partim codicibus

[12]) Aliter iudicavit Ritschelius proll. p. XC.

partim veterum testimoniis formae in -e servatae sunt cf. Brix Trin. 117, Lorenz Pseud. 125 et Mil. 1162, atque Muellerus (Plaut. Prosod. 210 et Additam. ad Plaut. pros. 23 sqq.) ubi fieri possit -e restituendum esse contendit. De formae usu apud Ciceronem aliosque cf. Buecheler pp. 66 et 105, Neue I² 379. Sed iam afferendi sunt loci qui restant Terentiani:

'spei' (gen.) Andr. pr. 25, Eun. 1053 (spei est), Haut. 659, Phorm. 474.

'rei' (gen.) Andr. 457 (Spengelius 'reii' cum Bentleio), Eun. 511, 804, Haut. 743, 830, Phorm. 145, 421, 748, Ad. 175, 177.

'rei' (dat.) Andr. 458, Eun. 540, Phorm. 271, 616, Hec. 224, 581, Ad. 95, 358, 545, 568, 854 ('rei est' et 'rei hunc').

Restat Haut. 55, ubi 'rēï' adesse Fleckeisenius et Umpfenbachius statuerunt:

'nec réï fere sane ámplius quicquám fuit,'

sed hoc quoque loco vocem unius syllabae esse Wagnero (ed. Berol. 1872) concedendum est (cf. Mueller, prosod. Plaut. 182). Contra aliquotiens 'rēï' apud Plautum legitur cf. Lorenz ad Mil. 103.

Genetivus 'rĕï' in fine versus exstat: Eun. 652, Hec. 807 (Sulp. Apoll. per. Ad. 5). In fine orationis et prioris versus partis Hec. 810:

'Quíd reïst? Tua quód nihil refert, pércontari désinas.'

Ad. 644:

'Tibi véro quid istic ést reï? Nil míhi quidem,'

quam ob rem cum Fleckeisenio post 'nil' inculcetur 'est' necesse non est.

Una forma 'dieï' ex usu Plautino (cf. Trin. 811, Asin. 253 'diéï tempus') bis reperitur Haut. 168:

'miserétque me eius: séd ut dieï témpus est'

ib. 212:

'tu, ut témpus est diéï, vide sis néquo hinc abeas lóngius'

cum semel 'diei' (Eun. 801) legitur.

III. De declinatione qua stirpes in -o desinentes continentur.

1. Vocativum 'puere' duobus locis viri docti inde ab Erasmo restituebant Eun. 624:

'Vóluit facere cóntra huic aegre: heus, ínquit, puere, Pámphilam
Áccerse, ut deléctet hic nos. ílla [exclamat] minime géntium.'

Vox uncis inclusa metri causa stare nequit. At Fleckeisenius G. Hermannum secutus eam ut servet, delet 'voluit' et inserit 'arcesse' post 'puer', Bentleius scripsit 'puer i', quam lectionem haud apto exemplo comprobavit Eun. 892: 'nutricem arcessitum iit'; sed exstat plane similis locus Plaut. Pseud. 330: 'propera quid stas? i, accerse agnos', ubi 'i' voculam omisit Ritschelius, recepit Lorenzius e codice A, in quo eam exstare Studemundius (stud. in prisc. script. lat. I 271 not.) docuit. Deinde Hec. 719: 'faciam út mones. eho púere curre ad Bácchidem hanc' facili transpositione 'curre puer' cum Bentleio et codice F loco laboranti succurri potest. Ac Plautum omnibus locis 'puere' dicere demonstrat Lorenzius ad Pseud. 165 Muellerum, additam. ad pros. Plaut. p. 139 sine dubio secutus [13]), formamque longe plurimis locis etiam codices servaverunt. Contra vocativus 'puer' firmatus est apud Terentium, cum in fine versus legatur Andr. 84:

'veniéntis aut abeúntis: rogitabam heús puer'

et Ad. 940:

'fac: prómisi ego illis. Prómisti autem? dé te largitór, puer.'

Praeterea ante h exstat Phorm. 152:

'puer heús . nemon hoc pródit? cape, da hoc Dórcio.'

Iam si reputamus nihil de prisco illo vocativo apud Terentium tradere grammaticos neque librariorum inscitia eius

[13]) Ritschelius Pseud. 252 etiam contra codices scripsit cum Hermanno 'vorte hác te puér. Non licét conloquí te' et Goetzius Merc. 921 libros secutus 'puer' exaravit, quamquam h littera insequitur.

vestigia prorsus deleta esse veri simile, cum eundem identidem recte servaverint in Plautinis libris, utrumque denique locum ab Erasmo temptatum ita esse comparatum, ut alter graviore corruptela aperte sit affectus, leni autem transpositione sanetur alter, equidem Terentium ubique vocativum ʻpuerʼ adhibuisse persuasum habeo.

2. Genitivi plur. in -um exstant apud Terentium Haut. prol. 24: ʻamicum ingenioʼ, ib. prol. 27: ʻne plus iniquom possit quam aequom oratioʼ, Hec. prol. 22: ʻiniuria adversariumʼ, Phorm. 393: ʻsi talentum rem reliquisset decemʼ, Ad. 411: ʻmaiorum suomʼ, ib. 793: ʻcorruptela nostrum liberumʼ, Andr. 237, Eun. 943: ʻpro deum fidemʼ, Andr. 246, Haut. 61, Hec. 198: ʻpro deum atque hominum fidemʼ, Phorm. 351: ʻpro deum immortaliumʼ, Ad. 746: ʻpro divom fidemʼ.

Vides locos quibus ʻdeumʼ legitur, omnes ita esse comparatos, ut obsecrandi formulae eis contineantur; forma autem ʻdeorumʼ legitur Haut. 693: ʻdeórum vitam aptí sumus. Frustra óperam opinor súmoʼ neque dubitari potest, quin Andr. 959 eodem modo poeta dixerit: ʻégo d e o r u m v í t a m eapropter sémpiternam esse árbitrorʼ. Itaque perperam contra codices scripsit Umpfenbachius ʻdeumʼ, ut servaret ʻpropterea', quod quamvis libri praebeant, falsum esse e Servi ad Verg. Ecl. VII 31 testimonio elucet.

Denique Haut. 606 legitur: ʻmille nummum poscitʼ, contra pro usitatiore ʻnummumʼ (cf. Cic. orat. 46, 156: ʻnummum, non nummorum [14]): quod in his consuetudo varia non estʼ) exstat Phorm. 38:

ʻ. . . . . (erat) relicuom pauxillulum
Nummórum: id ut confícerem. confeci: ádferoʼ.

Quam ob rem immerito Ritschelius, quem Brixius secutus est, in Trin. 152 lectionem omnibus codicibus traditam et exemplo Terentiano confirmatam: ʻnemo ést. nummorum Phílippeum ad

---

[14]) Quamquam Neue I² 106 nonnullos e Verrinis locos quibus ʻnummorumʼ legitur affert.

tria milia', ut formam 'nummum' restitueret coniectura temptavisse mihi videtur [15].

Cicero orat. 46, 155 sq. de eius modi genetivis disputans persaepe atque usitate dici 'deum, liberum, maiorum meum' affirmat. Atque hae voces ipsae in Terenti fabulis leguntur [16]) neque dubium esse potest, quin hoc quoque loco aut Cicero aut auctor, quem sequitur Cicero, sermonis usum Terenti auctoritate comprobet, id quod supra iam alio exemplo demonstravimus. Ceteri autem genetivi inusitatiores apud Terentium, veluti 'iniquom, aequom, amicum, adversarium', in prologis tantummodo adhibentur. Quin unum tantum exemplum in prologis exstat, ubi adiectivum substantivi vice adhibitum longiorem genetivi formam (i. e. pronominalem) habeat Haut. prol. 20: 'bonorum exemplum' (nam 'verborum' Eun. prol. 24 huc referri nequit), sed ambiguitatis evitandae causa aliter dicere non potuit Terentius vel Ambivius. Hoc igitur modo restringenda est Buecheleri (l. c. p. 85) observatio in prologis nusquam genetivi formam longiorem exstare dicentis.

IV. De declinatione quae stirpes in -u exeuntes complectitur.

1. Genetivus in -uis et codicibus omnibus et testimoniis veterum satis superque confirmatur Haut. 287: 'eius anuis causa opinor quae erat mortua'. Ex coniectura Fleckeiseni (Kritische Miscellen p. 43 adn.), qui e Ritscheli doctrina, de qua mox videbimus, genetivum in -us comicorum aetati abrogavit, legitur etiam Phorm. 482: 'quántum metuist míhi, videre huc sálvom nunc patruóm, Geta', quam emendationem omnes quod sciam editores receperunt. Sed vereor ne cum omnibus libris praeter A, qui 'quantum metus est' habet, et Bentleio,

---

[15]) In Trin. ed. II et proll. p. LXXXIX. Most. 357 formam 'nummorum' non immutavit Ritschelius, sed ne hic quidem eam posse tolerari Brixius censet, cui non adstipulatur Lorenzius.

[16]) Nam genetivum 'talentum', qui legitur apud Terentium, non attulit Cicero, quoniam eum non solum non inusitatum esse, verum etiam fere unice adhiberi ab optimis scriptoribus nemo nescit.

quem vide ad hunc versum, legendum sit: 'quantus metus est'. Neque quod Fl. scripsit Hec. 735:

'ne nómen mi obstet quaéstuis: nam móres facile tútor'

hodie probatur, nam lectione codicis Bembini 'obsiet' pro 'obstet' immutata, quae calami errori tribuenda est, omnia recte se habent:

'ne nómen mihi quaesti óbsiet: nam móres facile tútor'.

Ceterum genetivum in -uis haud ita raro usurpatum esse eo comprobatur, quod Varronem et Nigidium Figulum non aliter locutos esse et scripsisse Gellius IV 16, 1 tradit. Denique ab hoc loco haud alienum esse puto commemorare rectissime defendisse Fleckeisenium codicum lectionem 'metuis' apud Cic. pro Sext. Rosc. 50, 145: 'si metuis (sc. causa hominem occidere vis) ab eone aliquid metuis etc.', nam genetivi illa forma Ciceronem propter sequens verbum 'metuis' consulto usum esse consentaneum est. Ex hoc autem et Gelli loco colligi potest Ciceronis aequalibus formam haud ignotam fuisse eamque Terenti temporibus fuisse urbanam. Etenim in comicorum sermone volgari ea non reperitur. Certe de Plauto nihil habent veteres grammatici et codices. Quam ob rem iniuria Bothius quem Fleckeisenius secutus est Amphitr. 1061 'partuis' ut versum difficillimum sanaret scripsit.

Porro etiam genetivos in -us aeque ac Terentio Plauto abiudicat Ritschelius (Mon. epigr. tr.: de tit. Aletr. VII = Opusc. IV 169 sqq.): 'ut eadem opera et contraheretur (sc.-ui) et s littera servaretur, hoc illud ipsum est, quod factum esse negamus ante multo posteriora tempora, adultae Latinitatis' (cf. Mus. Rhen. VIII [1852] 494 sq.). Contra Buechelerus l. c. p. 61 sq. formam inde ab initio litterarum latinarum exstitisse et Plautum genetivos 'sumptus, quaestus' adhibuisse contendit. At mihi unum [17]) tantum praesto est exemplum, quo Buecheleri sententia fortasse possit comprobari Pseud. 1197 R.:

'níhil est hodie hic sýcophantis quaéstus. proin tu Pseúdulo',

[17]) De genetivo 'lectus', quem Priscianus Amph. 513 tradit, iure dubitant viri docti (vide infra).

sed cum hoc loco etiam nominativus defendi possit, ita ut ‘nihil hodie’ idem valeat ac ‘minime’, quem usum exemplis e Terentio petitis demonstrat Dziatzko ad Ad. 551, tutius erit genetivum in -us Plauto abrogare, praesertim cum ipse Buechelerus genetivum in -i mirum quantum praevalere concedat. Neque aliter res se habet in ceterorum comicorum fragmentis. Inveni apud Caecilium 21 soniti, 130 quaesti, 180 sumpti; apud Turpilium 12 et 86 fructi, 22 piscati, 42 et 84 quaesti, 49 porti, 154 tumulti, 172 et 184 sumpti; apud Titinium 26 quaesti; apud Afranium 393 tumulti. Quodsi Ribbeckius Turpil. 209 scripsit: ‘cum intérea nil quicquam á me adeptu’s praémi neque fructús (libri ‘erat’) tuae | Benignitatis atque obsequi,’ certe non augetur emendationis dubiae probabilitas hac genetivi forma poetae vindicata.

2. Genetivi huius declinationis secundum analogiam stirpium in -o desinentium formati exstant apud Terentium Andr. 365: ‘nihil ornati, nihil tumulti’, Eun. 237: ‘quid istuc inquam ornatist’, (ib. 546: ‘quid hoc ornatist’ Bentl. et Fleck.; ‘qui hic ornatus est’ Umpf. cum A), ib. 815: ‘domi focique fac vicissim ut memineris’, Phorm. 154: ‘ut in mentem eius adventi veniat’, Hec. 356: ‘quid fuit tumulti’, ib. 735: ‘ne nomen mihi quaesti obsiet’ (ubi solus A formam praebet, ceteri ‘quaestus’), ib. 836: ‘quaesti gratia’, Ad. 870: ‘hoc fructi pro labore ab eis fero’. Plautum hac genetivi forma sola usum esse supra diximus. Ceterum eam aliquotiens vel Ciceronem adhibuisse notum, cf. Neue I² 353.

3. Dativus in -u desinens legitur Haut. 357: ‘quaprópter haec res ne útiquam neglectúst mihi’ (‘neglectumst’ A, ‘neglectui est’ cett.), Ad. 63: ‘vestítu nimio indúlges: nimium inéptus es’ neque video cur editores Haut. 639: ‘némpe anui illi pródita abs te fília est planíssume’ scribere malint, quam A sequi, qui ANUILLI praebet, quamquam propter sequentem litteram i Bembini scripturam non magni momenti esse futuram nisi alia res de qua statim dicemus accederet, libenter concedo. (Haud ineleganter, sed non necessario Bentleius scripsit Eun. 384:

'quae nos nostramque adulescentiam | Habent despicatu'). Atque plures dativi (sive in -u sive in -ui) apud Terentium omnino non exstant. Formae autem in -u apud prosae scriptores reperiuntur, ut taceam de Vergilio aliisque poetis: itaque apud Gellium IV 16, 5 legimus: 'non omnes concedunt in casu dativo senatui magis dicendum quam senatu', cf. Neue I² 356 sqq. et Buechel. p. 110. Quae cum ita sint, non video causam, cur Lorenzius Pseud. 306 R. scripserit: 'nón est usui quísquam amator nísi qui perpetuát data' adnotans: 'usui auch Trucul. IV 2, 10 [18]), cultui Rud. 294, sonst mit Elision vor vocalischem Anlaute'. Nam libris certe, qui sane 'usui' vel 'iustus' praebent, hac in re nulla est fides, qui etiam 'sumptu (sumptū)' Mil. 740 contra metrum habeant. An ea erat causa, quod in versu antecedente legitur: 'crédere autem? eho, an paénitet te, quánto hic fuerit úsui'? Sed ut ad Terentium revertamur, quoniam Plautum ubi -ui ante vocalem legitur ultimam tantum litteram elidere [19]) ex Lorenzi observatione discimus, quin 'anu' loco Terentiano cum A scribendum sit non dubitamus.

4. Accusativus 'cornum' exstat Eun. 775: 'tu, Símalio, in sinístrum cornum; tú, Syrisce, in déxterum', quo loco dubium est, utrum a voce 'cornus, us' an a 'cornum, i' accusativus sit derivandus: utraque enim forma heteroclitica reperitur cf. Neue I² 347. Ceterum acc. 'cornum' habet teste Prisciano (I 210, 16 H.) Ovid. Met. V 383 et ib. II 874 forma etiam codicibus traditur. Atque hoc solum exemplum cum apud Terentium reperitur, comoediae Plautinae identidem praebent formas quas dicimus substantivorum heteroclitas, quae ita comparatae sunt, ut e vocis genere in sermone plebeio variante eas originem duxisse appareat. Veluti Amph. 513 genetivus 'lectus' (cf. Prisc. II 257, 4 H. et Brugmanus comment. in honor. Bue-

---

[18]) Sed cf. Schoellii adnotatio critica ad hunc versum.

[19]) E. g. hos affero locos: Mil. 603 (Ritsch.), 771, Curc. 501, Poen. 617 neque repugnat Rud. 294, in quo versu formam breviorem utroque loco exarandam esse mihi certissimum est:

'hisce hámi atque haec harúndines sunt nóbis quaestu et cúltu'.

cheleri ed. p. 94 sq., sed vide Brixium ad Trin. 651 in app.) et Mil. 397 'totus dorsus' legitur, quam formam ad quartam declinationem pertinere Priscianus (I 170, 3 H.) tradit, praeterea cf. 'collus, tergus, 'corius, nasum', de quibus vide Brix. Trin. 1014 et Men. 172.

5. Ablativus 'astu' haud raro etiam ab optimis scriptoribus adhibitus exstat Andr. 208 et Eun. 924.

V. De declinatione qua stirpes in -i aut in consonam exeuntes continentur.

1. Dativus sing. in -e, cuius vestigia vel apud Plautum sat oblitterata sunt (cf. Buecheler. p. 107), in omnibus libris Terentianis exstat Hec. 870:

'Mýrrhina ita Phidíppo dixit iúre iurandó meo
Sé fidem habuisse ét propterea té sibi purgatum',

qui dativus ex legum lingua sine dubio satis tritus non magis mirus videri debet, quam si haud raro legimus in titulis 'iure dicundo praeesse' (cf. Liv. XXXI 13, 5: 'cum et privati aequum postularent, nec tamen solvendo aere alieno res publica esset', Cic. ad fam. VII 13, 2: 'tresviros vites censeo, audio capitales esse, mallem 'auro aere argento essent' et sim.). Etenim verba in legibus usitata facilius incorruptam antiquitatem conservant, ut Ciceronis (de or. III 12, 45) utar verbis quam ob rem iniuria mihi quidem editores invitis omnibus libris mm. 'iuriiurando' scripsisse videntur. Hoc enim loco bene accidit, ut librariorum inscitia forma genuina servaretur. Nimirum ablativum hoc loco exstare opinati sunt, id quod egregie codice F comprobatur, in quo 'in iure iurando' legitur. De dativis in -e in universum cf. Ritschl, ind. lect. Bonn. 1852/53 p. 13 et 'De fictil. litt. latin. antiqu.' p. 23.

2. Ablativus 'vecti' pro usitatiori 'vecte' legitur Eun. 774 in A: 'male múlcabo ipsam. Púlchre. In medium huc ágmen cum vectí, Donax' et confirmatur a Prisc. I 345, 6 H. et Servio ad Aen. IX 469. Ceterum ablativus huius vocabuli

tam raro apud veteres scriptores obviam fit, si quidem fides est habenda numero locorum a Neuio I² 223 allatorum, ut iure dubitari possit, num abl. in -i, qui nobis quidem solo Terenti loco traditur, minus in usu fuerit, quam forma in -e, imprimis cum Pseudo-Palaem. 539, 41 K. vocem inter eas rettulerit, quae ut 'ignis' in i vel in -e mittant ablativum.

3. Locativus 'luci' quin exstet Ad. 841: 'cum primo luci ibo hinc' dubitari nequit, confirmatur enim lectione Bembini et schol. Bemb. ('cum prima luce' cett. codd.). Locos Plautinos congesserunt Brix ad Men. 1008 et Wagner ad Aul. 741. De forma ipsa cf. H. Usener, Annal. Fleckeis. CXVII (1878) 77 sq., qui formam non esse genetivum (Bergk, Beiträge zur lat. Gramm. I (1870) 147 sp., ubi locos quibus 'luci' legitur congestos invenies), sed locativum demonstravit. Ceterum Heusinger suo iure Cic. de off. III 31, 112 'cum primo luci' scripsit, idemque restitui iubet Usenerus Caes. bell. civ. I 81, 3 et Cic. ad Att. IV 3, 4.

Locativum 'tempori' Fleckeisenius Hec. 531:

'pártum, praesertím cum et recte et témpori suo pépererit'

scripsit, quod syllaba ultima producta in 'temporē', quod exstat in codicibus, ei offensioni fuit. Sed non offendendum esse in hac re plura exempla Terentiana demonstrant, de quibus cf. Wagner in Mus. Rhen. XXII 113 sqq., Mueller, Plaut. pros. 16, Dziatzko ad Ad. 346. De forma ipsa copiose egit Ritschelius ad vitam Terenti in Suet. Reiff. p. 507 sqq. Locos Plautinos habes apud Neueum II² 672 sq., sed hi omnes ita sunt comparati, ut 'tempori' (vel 'temperi' ut Ritschelius l. c. vult) adiectivo non addito adverbii vice sit. Itaque etiam hanc ob causam Fleckeiseni emendationi vix quisquam adstipulabitur. (Prorsus contra linguae usum formam Bentleius Haut. 187 scripsit: 'atque etiam nunc satis tempori est'). Terentius igitur nusquam habet 'temperi', sed Andr. 758, Haut. 364, Phorm. 464 'in tempore' (Andr. 532, 974, Hec. 627 'in tempore ipso') dicere solet.

Nominativum 'sortis' in altero exitu Andr. v. 4 Fleckeisenius et Spengelius scripserunt; in libris est: 'périi, Dave: de meo amore ac vita sors tollitur'. Ac forma 'sortis' uno tantum loco exstat Plaut. Cas. II 6, 28 (271) teste Prisciano (I 320, 7 H). Sed neque Terentium ea usurum fuisse puto neque eum, cui alter exitus debetur, eam adhibuisse persuasum habeo. Iam Guyetus ut versum efficeret inseruit 'nunc' ante 'sors', Wagnerus 'iam': utrumque quod quidem ad sensum enuntiati attinet aptum.

Porro 'itere' pro 'itinere' scripsit Bentleius Haut. 271 sine causa necessaria, et Phorm. 566, quo loco, ne 'itínere' sit pronuntiandum, cum Fleckeisenio scribendum est: 'quá via istuc fácies? Dicam in ítinere; hinc modo te ámove' (sc. verbis novissimis, quae codices praebent 'modo te hinc amove' transpositis). De vocis usu Plautino cf. Neue I² 188.

NOMINA ADIECTIVA.

1. Ritschelius op. IV 174: '„dextra" inquit 'formam cum pristina aetas probavit, tum tertia adultae linguae; media aetate trisyllaba forma regnavit sola, ut apud Plautum ubique, quam tertia poetis tantum concessit' (cf. op. II 523, 673). De locis Plautinis omnibus id non valere demonstravit Muellerus, additam. ad pros. Plaut. p. 1; Terentius autem in fine versus 'dextera' (Andr. 734, 751, Eun. 775), in medio versu 'dextra' (Haut. 493, 732, Ad. 583, Andr. 289) dixit, unde patet Terentio 'dextera' fuisse formam antiquiorem, quam in fine tantum versus iambici sibi indulsit 'novus poeta'. Legem illam Terentianam video iam observasse O. Brugmanum in censura editionum Andriae a Meissnero et Spengelio curatarum (Annal.

Fleckeis. CXIII [1876] 421). Sed eadem lex etiam de forma ‘sinistera’ valet: forma enim trisyllaba medio versu legitur Eun. 775 et Ad. 582, in fine autem versus contra omnes codices necessario scribendum est Eun. 835: ‘sinisteram’.

2. De masculino ‘alacris’ (Eun. 304: ‘quid tu es tristis [sc. Chaerea]? quidve es alacris?’) cf. Serv. ad Aen. VI 685: ‘sciendum antiquos et alacris et alacer et acris et acer tam de masculino quam de feminino genere dixisse; n u n c m a s c u l i n o u t r u m q u e d a m u s, de feminino alacer et acer numquam dicimus.’ Apud Vergilium autem l. c. ‘alacris palmas utrasque tetendit’ de Anchisa dicitur.

3. Adiectivum ‘hilaris’ per totam Latinitatem fuisse adiectivum quod dicitur abundans notum est, cf. Neue II² 87. Atque in Terentio his legitur locis: Ad. 756: ‘hilarum ác lubentem fác te gnati in núptiis’ (‘hilarem’ D E F¹ G), ib. 842: ‘hodie modo hilarum fac te’. Ib. 287 codices praebent: ‘ita quaéso: quando hoc béne successit, hílarem hunc sumamús diem.’ Palmerius et Bentleius, quos praeter Umpfenbachium omnes editores secuti sunt formam ‘hilaris, e’ a Terentio utpote ab illius aetate alienam exulare iubentes nostro loco adverbium ‘hilare’ restituerunt collatis Plaut. Epid. I 2, 54 (158): ‘eamus intro huc ad te, ut hunc hodie diem luculente habeamus’ (at Goetzius ‘luculentum’) et Pseud. 1268: ‘hunc diem sumpsimus prothyme’. Sed primum adverbium necessario non requiritur, nam licet concedatur Bentleium recte contra codices, qui ‘hilarem’ praebent, scripsisse Plaut. Poen. V 6, 30 (1351): ‘ut hunc festum diem habeamus hilare, huius malo et nostro bono’, tamen legitur in Ter. Ad. 521, quem locum omnes neglexerunt: ‘nam hunc diem misere nimis cupio, ut coepi, p e r p e t u o m in laetitia degere.’ Quodsi deinde Bentleius formam in -is a comicorum aetate alienam putat, Poen. l. c. in omnibus libris mm. ‘(h)ilarem’ et Most. 318 ‘(h)ilari ingenio’ legi dicendum est. Sed gravi quoque testimonio lectionem ‘hilare’ defendit Bentleius. Exstat enim in Charis. p. 200, 15 K: ‘hila-

riter ab eo, quod est hilaris, hilare autem ab hilarus, ut Helenius Acron in Terenti Adelphis, ubi Terentius „hilarem hunc sumamus“ inquit „diem“, sed et Afranius in Sororibus „nunc se obsequentem atque hilarem praebeat“.’ Utroque loco ‘hilarem’ ferri non posse unusquisque videt, quam ob rem inde a Palmerio viri docti priore scripserunt ‘hilare’, posteriore ‘hilarum’ vel ‘hilaram’, Ribbeckius vel hic ‘hilare’ (scil. ‘obsequentem’). Sed hi neglexerunt adverbium ‘hilare’ esse usitatum atque legi identidem apud Ciceronem aliosque (cf. Neue II^2 660), contra perraro reperitur ‘hilariter’. Num tu igitur putas formam tritissimam exemplis comprobaturum fuisse Charisium? Minime. Immo olim adiectivum ‘hilarus’ exstitisse, unde adverbium istud usitatum ‘hilare’ originem duxerit, demonstrare vult. Itaque Terenti loco Acron sine dubio ‘hilarum’ scripsit et in Afrani versu ‘hilaram’ scribendum erit, si eum in ‘Sororibus’ exstitisse reputamus. Ex his, quae huc usque disputavimus, adverbium ‘hilare’ non satis defendi posse Terenti loco apparet. Potest autem dubium esse utrum ‘hilarum’ an ‘hilarem’ sit scribendum. Nam Probus Cath. 15, 9 K dicit: ‘hilaris legi et hilarus in Terentio’. Itaque si quis Probi testimonium pluris faciat, quam Heleni Acronis, is cum codicibus ‘hilarem’ scribat necesse est. Eodem modo legitur Andr. 782: ‘ioculárium in malum ínsciens paene íncidi’, cum Phorm. 134 ‘iocularem audaciam’ reperimus.

Haud recte egisse mihi videtur Umpfenbachius scribens Eun. 314 cum codicibus (ceterum in A membrana lacerata est): ‘ut graciles sient’, cum Probus Cath. p. 23, 26 K et Eugraphius ‘gracilae’ legendum esse contendant, itemque Donatus, quem scripsisse: ‘ut gracilae (‘-es’ codd.) sient] A singulari gracila (‘-is’ codd.) venit haec declinatio’ luce est clarius, cum forma ‘gracilis’ notissima — nam nos certe formae ‘gracilus’ notitiam uni Terenti loco debemus — explicatione non egeat. Ceterum formam Terentium ipsum finxisse Probus dicere videtur (p. 23): ‘Terentius n o v e’, quod sat difficile est diiudicatu, nam adiectiva in ‘-is, -is, -e’ formas secundum II

declinationis analogiam perfaeile admisisse sat mt uis exemplis possumus demonstrare (cf. Neue II² 87 sqq.).

4. Adiectivum ‘potis’ apud Terentium his legitur locis:

Andr. 437: ‘potin és mihi verum dícere? Nihil fácilius’,

Eun. 101: ‘hoc prímum, potin est híc tacere? Egone? óptume’,

ib. 263: ‘si pótis est, tamquam phílosophorum habent dísciplinae ex ípsis’,

Haut. 321: ‘Clítipho, es neque férri potis es. Aúdiundum hercle ést, tace’ (A ‘potes’),

ib. 659: ‘sí potis est reperíri. Interii: plús spei video quám volo’,

Phorm. 379: ‘si tíbi placere pótis est, mihi ut respóndeas’,

Hec. 395: ‘quód te scire ipsa índicat res. núnc si potis est, Pámphile’,

Ad. 344: ‘peióre res locó non potis est ésse quam in quo núnc sita est’,

ib. 521: ‘ita fíat, et istoc síqui potis est réctius. Ita: nam húnc diem’,

ib. 539: ‘siquíd rogabit, núsquam tu me: audístin? Potin ut désinas’,

ib. 626: ‘úsquam efferri: ac mítto: fieri pótis est ut nequa éxeat’.

Eandem formam recte restituit Bentleius Eun. 113: ‘neque scíbat neque per aétatem etiam pótis erat’ (codd. ‘potuerat’). Denique nescio an eodem utique modo Andr. 691: ‘quibus quídem quam facile pótuerat quiésci, si hic quiésset’ scribendum sit ‘potis erat’. Quos locos si perlustramus, id omnium proprium esse videmus, ut ‘potis’ *ante formas verbi substantivi ‘esse’ cum vocali incipientes* legamus excepto Ad. 539: ‘potis ut desinas’, ubi verbum substantivum deest, quod eo explicatur, quod ‘potin ut’ dudum in formulam abierat tritissimam, qua Syrum servum lepide facit Terentius utentem; cf. Plaut. Amph. 903, Rud. 425: ‘potin ut abstineas manum’, Men. 466: ‘potin ut quiescas’, Trin. 628: ‘potin ut me ire

sinas', Pseud. 235: 'potin aliam rem ut cures', ib. 264: 'potin ut semel modo respicias', ib. 393, Pers. 297: 'potin ut abeas', Pers. 175, Pseud. 940, Poen. 906 (IV 2, 94): 'potin ut taceas', Most. 396: 'potin ut animo sis quieto', Epid. 63, Men. 606, Truc. 897, Merc. 779, Pers. 287: 'potin ut molestus ne sis', Mil. 926: 'potin ut hominem mihi des', Merc. 441: 'potin ut ne licitere', ib. 495: 'potin ut aliud cures', ib. 890: 'potin ut animo sis tranquillo', Bacch. 751: 'potin ut cures te', Afran. 202: 'potin ut hinc facessas'.

Facile autem apparet discrimen inter huius vocis usum Plautinum et Terentianum. Apud Plautum enim fere sescenties 'potis' nude ponitur, ita ut 'es, est, sunt, esse' suppleantur necesse sit, cf. Lorenz Pseud. 877, Brix Trin. 352 et Men. 625, Terentius autem fere constanter verbum substantivum addere solet. Itaque haud recte Umpfenbachius Hec. 479 scripsit: 'néque alio pactó componi pótis inter eas grátia' Bentleium secutus, qui paullo melius 'est' post 'gratia' addidit. Sed sine dubio codicum lectio leni vocabulorum transpositione adhibita: 'néque alio pactó potest compóni inter eas grátia' cum Fleckeisenio retinenda est.

Forma 'pote' legitur Phorm. 535: 'cuí minus nihilost, quód, hic si pote fuísset exorárier' et in proverbio[20]) Ad. 264: 'nihil póte supra. quid nám foris crepuit? Máne, mane: ipse exít foras' (Donatus; codd. 'potest', quod Spengelius deféndit, 'potis' Fleckeisenius). Recte etiam Phorm. 337 Bentleius scripsit: nón pote satis pro mérito ab illo tíbi referri grátia' (codd. 'potest'). Quibus locis perpensis iam affirmare licet formam 'potis' ante vocales (addito verbo substantivo), formam 'pote' ante consonantes adhiberi a Terentio. Utramque autem formam etiam in Ciceronis, Catulli, Vergili aliorumque carminibus reperiri notum est, cf. Neue II[2] 98 et qui Neuei libri censor exstitit CFG Mueller in Annal. gymn. Berol. XXIX (1875) 221 sq.

[20]) Cf. Andr. 120: 'ut nihil supra', Eun. 427: 'nihil supra'.

Quodsi Haut. 923 cum Fleckeisenio omnes legunt ‘potis esse’, de loco, quamvis nostrae observationi non adversetur, aliter sentio, cum haec dicendi ratio non reperiatur nisi rarissime (cf. Lorenz Pseud. 1290) et ipse Terentius Eun. 666 ‘potesse’ dicat. At codicum lectio, nisi quod in A per errorem vocula ‘te’ omissa est, aptissima est et illa emendatione multo potior:

‘nonne íd flagitiumst, te áliis consiliúm dare,
foris sápere, tibi non pósse te auxiliárier’.

Quae aptissima chiasmi figura, si Fleckeisenium sequeremur, prorsus deleretur.

5. Forma ‘necessus’ duobus locis codice A traditur, cum ceteri libri praebent ‘necesse’:

Eun. 998: ‘nisi, quía necessus fúit hoc facere, id gaúdeo’,
Haut. 360: ‘ut sít necessus. Mérito te amo, Clínia’.

Atque Lachmannus ad Lucret. VI 815 etiam Andr. 372 codicem A ‘necessus’ habuisse suspicatur: ‘quási necessus sít, si huic non dat, té illam uxorem dúcere’. Terentium enim ante consonantes ‘necessus’, ante vocales ‘necesse’ adhibuisse contendit. Id quod recte se habere locis omnibus collectis intellexi. Sunt autem hi: ‘necesse est’ Eun. 969, 1075, Haut. 209, Hec. 304; ‘necesse habere’ Phorm. 296; ‘necesse habeo’ Ad. 51. Plautus hac forma nusquam utitur: certe in codicibus haec forma nusquam legitur et Truc. 222 Bergkio debetur (cf. Schoellius ad h. v.: etiam Buechel. p. 17 eam Plauto vindicat, sed locos quibus legi eam velit non indicat, et Cas. 240, Poen. 1233 Geppertus praeeunte Lachmanno sic scripsit aperte dissuadentibus codicibus.) Contra saepius Plautus ‘necessum’ habet (cf. Neue II^2 100), quod neque Terentio incognitum fuisse Donatus, si dis placet, ad Eun. 998 tradit: ‘necesse est nomen. nam necessus necessis et necessitas et necessum lectum est’. Vastam hanc variarum lectionum congeriem re vera ad Terenti locum exstitisse id credat Iudaeus Apella: verba Donati qualia nunc leguntur tolerari nequeunt. Ego — nam vocem ‘necessis’ genuinam esse posse Buechelero (cf. l. c. p. 18) libenter con-

cedimus — ad hunc fere sensum ea corrigenda esse suspicor, ut illum demonstrare voluisse statuamus olim adiectiva ‘necessus, -um’ et ‘necessis, -e’ exstitisse. Quem ad sensum quo modo Donati verba ipsa nunc lectitata sint accommodanda, sagacioribus diiudicandum relinquo. An scribere praestat: ‘necessus est nomen. nam necessus n e c c s s u s et necessitas et necessum d i c t u m est’?

Ceterum ‘necessus’ Terenti aetate fuisse verbum ut ita dicam urbanum, inde elucet quod Scipio eo usus est in oratione apud Gell. V 19, 16: ‘absentis censeri iubere, ut ad censum nemini necessus sit venire’ itemque reperitur forma in Sc. de Bacan. CIL I 196, 4.

6. ‘Volup’ (volupe) apud Terentium in una phrasi ‘volupest’ legitur Phorm. 610: ‘venire salvom volupest’ et Hec. 857: ‘bene factum et volupest’. Formam ‘volupe’ umquam exstitisse negat Ritschelius Mus. Rhen. VII 319 sq. (= op. II 450 sqq.), quamquam eam formam fuisse primigeniam concedit. Sed cf. Buechelerus p. 11, qui ‘volupe est’ scribendum dicit[21]). Apud Plautum non solum formula ‘volupe est’ duodecies legitur, sed etiam adverbium ‘volup’ ter, cf. Brix Mil. 277.

7. Superlativus ‘mirificissimus’ in sermone familiari sine dubio semper usitatus, utpote ex trita grammaticae regula formatus, quamvis dicat Paul. Fest. p. 151 M: ‘magnificissima dicebant a n t i q u i pro magnificentissima’, legitur Phorm. 871 (fortasse etiam eo, quod in f i n e v e r s u s exstat, excusatus): ‘quód? Quodnam arbitráre? Néscio. Atqui mirificíssimum’.

8. ‘Compluria’ legitur[22]) Phorm. 611: ‘multa ádvenienti, ut fít, nova hic complúria’. Etiam Ciceronem Verr. IV 46, 102: ‘immo vero alia compluria’ et acc. II 19, 47: ‘scyphorum paria

---

[21]) Amph. 958 re vera omnes libri habent ‘volupe est’.

[22]) Apud Charis. 60 K scribendum est: ‘manifestum fit vetera dici non veteria, et maiora, non maioria, et plura, non pluria; quamvis Terentius in P h o r m i o n e (edd. ‘Adelphis’) nova compluria dixerit’, aut scriptorem ipsum locum memoriter laudasse statuamus necesse est.

compluria' itemque in Protagora ita dixisse grammatici tradunt, eandemque formam commendat Gell. V 21, unde Varronem et Nigidium ita locutos esse comperimus. Terentius forma in fine versus utitur.

PRONOMINA.

1. Forma 'ipsus' legitur:

Andr. 360: 'paúlulum opsoni: ípsus tristis: de ínproviso núptiae',

ib. 377: 'ípsus sibi esse iniúrius videátur, neque id iniúria'.

ib. 422: 'etenim ípsus secum eám rem reputavít via' (solus cod. D),

ib. 495: 'certe hércle nunc hic se ípsus fallit, haúd ego. Edixín tibi',

ib. 527: 'quod míhi pollicitust ípsus gnatus. núnc Chremem',

ib. 576: 'ipsús mihi Davos, qui íntumust eorúm consiliis, díxit',

ib. 598: 'quiéscas. Age igitúr, ubi nunc est ípsus? Mirum ní domist',

Eun. 546: 'is ést an non est? ípsus est. quid hoc hóminis? qui hic ornátus est',

ib. 974: 'sed estne ílle noster Pármeno? et certe ípsus est'.

Phorm. 178: 'is est ípsus: ei, timeó miser, quam hic míhi nunc nuntiét rem',

ib. 215: 'séd hic quis est senéx, quem video in última platea? ípsus est',

ib. 852: 'séd isne est quem quaero án non? ipsust. cóngredere actutúm. Quid est?' ('ipsus est' A, 'ipse' rell.),

Hec. 343: 'nam quí amat cui odio ípsus est, [eum] bis fácere stulte dúco',

ib. 344: 'labórem inanem ipsús capit et illí molestiam ádfert',

ib. 455: 'ípsus est de quo hóc agebam técum. Salve, mí pater',

ib. 812: 'gnátae suae fuísse, quem ipsus ólim mihi dederát. Scio' (solus A),

Ad. 328: 'néque id occulte fért, a lenone ípsus eripuít palam',

ib. 472: 'venit ípsus ultro lácrimans orans óbsecrans'. Omnes codices praeter A formam his habent locis (etiam locis Andriae supra laudatis A deficit):

Ad. 78: 'sed éstne hic ipsus, dé quo agebam? et cérte is est',

ib. 538: 'pater ést? Is ipsust. Sýre, quid agimus? Fúge modo intro, ego vídero' ('is' addidit Fleckeis.),

Eun. 782: 'illúc est sapere: ut hósce instruxit, ípsus sibi cavit loco' (Donat. et BG).

Contra forma 'ipse' legitur:

Andr. 112: 'quid si ípse amasset? quíd hic mihi faciét patri',

ib. 151: 'tute ípse his rebus fínem praescripstí, pater',

ib. 174: 'futúras esse audívit. sed ipse exít foras',

ib. 487: 'deos quaéso ut sit supérstes, quandoquidem ípsest ingenió bono' ('ipsust' Speng.),

ib. 752: 'delíras: non tute ípse? Verbum sí mihi',

Eun. pr. 14: 'dehinc né frustretur ípse se aut sic cógitet',

ib. 77: 'ne praéter quam quas ípse amor moléstias',

ib. 319: 'flos ípse. Nunc hanc tú mihi vel vi vél clam vel precário' ('nunc' addidit G. Hermannus; 'ipsus' et 'hance' Fleckeis.; IPSUM A corr. ant. (E superscr.)),

ib. 543: 'homo ípse nusquamst: néque scio quid dícam aut quid coniéctem',

ib. 702: 'meam ipse índuit: post úna ambo abierúnt foras',

ib. 891: ‘si vís, iam frater ípse hic aderit vírginis’,
ib. 893: ‘in cógnoscendo túte ipse aderis, Chaérea’,
ib. 905: ‘adest óptume ipse fráter. Perii hercle: óbsecro’,
Haut. 772: ‘sese ípse dicit tuám vidisse fíliam’,
ib. 804: ‘ipse ádeo adest: abi, éffer argentum. Éffero’,
ib. 894: ‘nón. Quid? non? Non ínquam. Neque ipse gnátus? Nihil prorsúm, Chremes’,

ib. 1023: ‘séd ipse egreditur, quám severus: rém cum videas, cénseas’,

Phorm. prol. 23: ‘peccándi cum ipse dé se finem nón facit?’

ib 196: ‘sátis pro imperio, quísquis es. Geta. Ipsest quem volui óbviam’,

Hec. 161: ‘diiúnxit illum ab ílla, postquam et ípse se’,
ib. 560: ‘síquidem ille ipse nón vult et tu sénsti in eo Mýrrhina’,

ib. 574: ‘ipse éripuit vi, in dígito quem habuit, vírgini abiens ánulum’,

ib. 670: ‘ut alámus nostrum. Quem ipse neglexít pater’ (Donatus: ‘legitur et ipsa, ut sit pater vocativus casus’),

Ad. prol. 4: ‘indício de sese ípse erit, vos iúdices’ (cf. Dziatzko ad h. v.),

ib. 39: ‘paráre quod sit cárius quam ipse ést sibi’,
ib. 64: ‘nimium ípse est durus praéter aequomque ét bonum’,

ib. 99: ‘qui nísi quod ipse fécit nihil rectúm putat’,
ib. 139: ‘cum ita út volo est: isté tuus ipse séntiet’,
ib. 264: ‘nihil póte supra. quid nám foris crepuit? Máne, mane: ipse exít foras’,

ib. 437: ‘quando íta volt frater: de ístoc ipse víderit’,
ib. 628: ‘égomet rapui: ipse égomet solvi argéntum: ad me abductá est domum’,

ib. 640: ‘quandóquidem hoc numquam mihi ípse voluit dícere’.

Iam quo discrimine utraque forma a Terentio adhibeatur ex locis modo allatis omnino non posse definiri, quamvis miro fere modo codices in adhibenda utraque forma consentiant, mihi persuasi. Nam neque accentu neque significatione (ipsus = dominus) neque littera insequente usus certis circumscribi potest finibus, ita ut aurium fere arbitrio utriusque formae optionem reliquisse videatur Terentius. A. Luchsius quidem in Studemundi studiis in priscos scriptores latinos I 1 p. 47 legem repperisse sibi visus est 'ipsus' formam a poetis comicis usurpari, ubi cum pronomine reflexivo coniungeretur, eamque ante pronomen reflexivum poni, nusquam subsequi: sed vides hanc legem tum demum de Terentio valere, si cum Luchsio haud exiguam locorum partem mutaveris. Idem fere etiam de Plauto posse affirmari Brixius in appendice ad Capt. 458 dicit. Ad hiatum evitandum 'ipsus' legitur Eun. 546, 974, Phorm. 178, 215, Hec. 343, 455, 812, Ad. 328, 472; propter ictum (ipsús) Andr. 576, Hec. 344: qui restant loci — est autem dimidia fere pars — certi quicquam prae se non ferunt, quo eligendae formae consilium statim perspiciatur. Quidquod exstat Andr. 527: 'ípsus gnatus' et Haut. 894: 'ípse gnatus', nisi forte loco priore quod A deficit cum CEP contra BD¹G 'ipse' scribere mavis. De Plauto cf. Fr. Leo in Mus. Rhen. XXXVIII (1883) 8 sq., ubi locos quoque quibus 'eumpse, eopse etc.' Plautus dixit enumeratos invenies. Sed non possum eo adduci ut Terentium quoque eius modi formis usum esse mihi persuadeam: nam versus ille (Hec. 163) quo fulcire studet Leo sententiam suam mihi aeque ac Guyeto, Fleckeis., Wagnero interpolatus esse videtur.

2. De formae nom. plur. fem. 'haec' usu Terentiano cum accuratissime egerit Fr. Schmidtius 'Die Pluralformen des Pronomens hic bei Plautus und Terentius' in Hermae vol. VIII 478 sqq., qua cum disputatione conferenda est eiusdem scriptoris dissert. inaug. 'Quaestiones de pronominum demonstrativorum formis Plautinis' (Berol. 1875), cuius libelli censor exstitit G. Studemundius in Fleckeis. Annal. CXIII (1876)

p. 57—76, ego brevis esse possum. Docuit igitur ille Terentium ante vocales ‘haec’, ante consonantes ‘hae’ scripsisse. Itaque ‘haec’ praeter Eun. 582: ‘novíciae puéllae continuo haéc adornant út lavet’, Hec. 790: ‘at haéc amicae erúnt . .’, quibus locis A formam praebet, etiam Hec. 289: ‘sí non rediissés, haec irae fáctae essent multo ámpliores’, ib. 772: ‘nám non sunt solae árbitratae haec: égo quoque etiam crédidi’ (Donatus; HAP in A) metro requiritur. Contra ‘hae’ scribendum ante consonantes: Andr. 328, 438, 656, 700, Hec. 101: ‘hae nuptiae’, Eun. 89, 282: ‘hae fores’, Ad. 785: ‘hae turbae’, quamquam Eun. 89 in A ‘haec’ exstat et Donatus Andr. 656 ‘haec nuptiae’ lectum esse[23]) testatur[24]). Plautum autem ‘haec’ formam solam novisse vel certe ubique ea usum esse Schmidtius l. c. p. 43 contendit eique Studemundius locis denuo tractatis assentitur (p. 61). Ceterum formam etiam apud Vergilium (Studem. p. 62 adn. 20), Livium, Ciceronem reperiri docuit Fleckeisenius in Mus. Rhen. VII 271 sqq. (cf. VIII 221 adn.).

3. Nom. plur. masc. ‘hisce’ codices omnes et grammatici testantur Eun. 269:

‘. . . . Hisce hoc múnere arbitrántur
Suam Tháïdem esse. Plúrima salúte Parmenónem etc.’

Quod antiquae terminationis in -s vestigium (cf. Ritscheli op. II 646 sqq.) propter additam syllabam ‘ce’ in hoc pronomine tam diu mansisse (Liv. IX 10, 9: ‘quandoque hisce homines iniussu populi Romani Quiritium foedus ictum iri spoponderunt’), vix quisquam infitias eat. Immo ne unum quidem exemplum exstat, quo ‘hice’ forma comprobetur (cf. Buechelerus p. 42). De usu Plautino cf. Brix. Trin. 877 et Lorenz. Most. 923.

---

[23]) Qua re commoti Fleckeisenius, Spengelius, Meissnerus, Umpfenbachius praeeunte ex parte Bentleio in Andria ubique ‘haec nuptiae’ scripserunt. Sed tum causa non adest, cur eandem formam ceteris quoque locis exarare dubitemus.

[24]) Denique Phorm. 1012: ‘haecine erant itiones’ (Donat. ad Eun. 582 habet ‘haec illae erant itiones’) legitur.

4. Formae pronominum ad analogiam flexionis nominum ut ita dicam, formatae leguntur:

(Andr. alt. exit. v. 2: ‘óperam dedi ne me ésse oblitum dícas tuae gnatae álterae’),

Eun. 1004: ‘mihi sólae ridiculó fuit, quae quíd timeret scíbam’,

Haut. 271: ‘ea óbiit mortem: hoc ípsa in itinere álterae dum nárrat’,

Phorm. 928: ‘cum ego véstri honoris caúsa repudium álterae remiserim’.

Hae formae in sermone familiari persaepe adhibitae esse videntur, quod iam inde elucet, quod aptiores erant ad genus accuratius et significantius definiendum, quam terminationes pronominales in -ius vel -i, quae certe apud Terentium in vocibus supra allatis de feminis nusquam usurpantur. De viris autem ‘alterius’ Andr. 628, ‘solius’ Haut. 129, dativos ‘soli’ Eun. 480, 637, 793, 831, Phorm. 405, Hec. 350, 410, ‘nulli’ Haut. 685, Ad. 864, ‘alteri’ Andr. 427 reperimus. Itaque etiam Ad. 34: et tíbi bene esse sóli cum sibi sít male’, si quidem versus a Terentio profectus est — nam deest in A neque quicquam de eo habet Donatus — post ‘soli’ interpungendum est, ita ut id cum ‘tibi’ (i. e. marito) coniungatur, quoniam ‘solae’ poeta scripsisset, si ad ‘sibi’ (i. e. uxorem) referri voluisset.

Porro genetivus ‘nulli’ a grammaticis et codd. DG (in A versus non exstat) comprobatur Andr. 608: ‘mihi óbtigisse, quándoquidem tam inérs, tam nulli cónsili sum.’ Atque etiam Cicero dixit pro Rosc. Com. 16, 48: ‘nulli consili’ et si Neue II[2] 255 hoc loco laudato addit: ‘wie man meint, in einer poetischen Reminiscenz’, Ciceronem Terenti locum in mente habuisse ex eis, quae similia supra diximus, apparet. Ceterum formas ‘unae, solae simm.’ hic illic apud optimos scriptores reperiri docet Neue l. c. De Plauto cff. Ritscheli op. II 692, Brix. et Lorenz. ad Mil. 356.

Sed restant formae, de quibus haud ita facile est iudicium. Ut igitur a gravissimo loco exordiamur, Haut. 382 legitur: ‘íd

cum studuisti, ísti formae ut móres consimilés forent', ubi 'isti formae' genetivum esse Ritschelius statuit, quod 'similis' adiectivum apud Plautum et Terentium semper cum genetivo coniungeretur (op. II 572 adn., 580 sq.). Atque ille haec exempla Terentiana protulit: Eun. 334: 'nonne hoc monstri similest', Phorm. 954: 'monstri simile', Ad. 96: 'nullum huius simile factum', Haut. 551: 'si quid huius simile forte aliquando evenerit', nam locos quibus homines cum hominibus comparantur afferre supersedit; sunt autem hi: Eun. 313: 'haud similis virgost virginum nostrarum', ib. 496: 'domini similis es', Haut. 393: 'cuius mos maximest consimilis vostrum', ib. 1020: 'tui similis est', Phorm. 501: 'quam uterque est similis sui', Ad 411: 'est similis maiorum suom.' Restant autem Eun. 468: 'perpulchra credo dona aut nostris similia', ubi dativum libri (A 'nostri', quod facile explicatur sequente littera s et quod [quamvis dubitanter] defendit Wagnerus, recepit Umpfenbachius), Donatus, Priscianus praebent, et Haut. 382. Priore loco Ritschelius 'nostrum' (= nostrorum) scripsit, posteriorem attulit ita ut pronomen 'isti' omitteret. Ac re vera vocem quam omiserunt DEG eiecit Fleck., qui eam per dittographiam voculae antecedentis 'studuisti' ortam esse ratus versum sic dedit: 'íd tu quom studuísti, formae ut móres consimilés forent.' Sed quod virum doctissimum offendit, mihi quidem consulto poetam scripsisse persuasum est. Iam vero si locos quibus res cum rebus comparantur perlustramus, bis 'monstri simile' et bis 'huius simile' exstare videmus, atque in tanta exemplorum paucitate equidem vereor, ne iniuria duobus illis locis dativum abiudicaverit Ritschelius Terentio. Adde quod genetivum 'isti formae' plane simili exemplo fulcire nequeas, cum hanc pronominis formam cum 'modi' tantummodo coniunctam habeamus compertam (cf. Buechel. p. 78 et Ritschel. op. II 692). Denique Ritschelius ipse l. c. 581 antiquitus dativum cum adiectivo 'similis' coniunctum in dicendi genere gravi usitatum fuisse concedit (cf. Ennianum illud [sat. 45 Vahl.]: 'simia quam similis turpissima bestia nobis'): licet igitur concedatur in comicorum sermone

mediocri genetivi usum longe praevaluisse, id quod imprimis apud Plautum apparet, ea causa vix sufficere videtur, ut a lecto atque eleganti Terenti sermone dativum alienum putemus. Itaque 'isti' dativum iudico.

Sed plures eius modi genetivos et Plauto et Terentio vindicabat Sam. Brandtius in dissert. inaug. 'De varia quae est apud veteres Romanorum poetas scaenicos genetivi singularis pronominum forma ac mensura' (Lips. 1877), qui formas bisyllabas 'illius, istius, ipsius, solius, unius' non scriptas esse nisi ante vocales opinatus ceteris locis 'illi' (Eun. 370: 'capias tu illi vestem', ib. 620: 'retinendi illi causa', ib. 741: 'illi ferre possum ineptiam', Haut. 203: 'ex illi more', ib. 544: 'tolerare illi sumptus non queat', Ad. 441: 'ne illi modi' cf. l. c. p. 16), 'isti' (Haut. 387: 'isti modi', Phorm. 969: 'ex re isti me instigasti' cf. p. 21), 'ipsi' (Haut. 576: 'ipsi facti pudet', Phorm. 725 (?) cf. p. 23), 'soli' (Haut. 129: 'mea soli solliciti sint causa'), 'uni' (Haut. 205: 'uni modi' cf. p. 24) restituendum censuit addens (p. 27) Terenti temporibus breviores formas, cum apud Plautum rarior eorum usus esset, longioribus etiam praelatas esse videri. Brandtium autem secuti sunt Spengelius (ad Ad. 261) et Dziatzko (ad Ad. 261, 441). Verum haud scio, an haec observatio magis ad prosodiae leges cognoscendas, quam ad priscas formas investigandas pertineat. Quod si deinde Brandtius ipse p. 69 concedit: 'formas decurtatas (eis, huis, quois, ei, hui, quoi = eius, huius, quoius) ut in sermone fuerunt, sic etiam in scriptura sollemnes fuisse, nisi quod 'quoimodi' scribebatur, demonstrari non potest', eadem cur non de ceteris quoque pronominibus dixerit nescio. Lubricum autem esse puto eius modi genetivos vel si cum 'modi' coniunguntur, Terentio adscribere, cum a testibus prorsus destitutis nobis verendum sit, ne ea corrigere videamur, quae ars metrica vel prosodiaca Terenti aetate sibi indulsit. Ac simile quid statim de voce 'quibus' videbimus.

5. Dativus plur. 'quis' legitur Andr. 630:

‘ídnest verum? ímmo id hominúmst genus péssumum dénegandi modo quís pudor paúlum adest.’

Quae forma e Ciceronis, Horati, Livi aliorum codicibus satis nota (cf. Neue II[2] 234) rarissime apud scaenicos obviam fit, quod iam observavit Buechelerus p. 132, qui unum tantummodo locum (Plaut. Most. 1040) affert, alterum suppeditat Muellerus additam. p. 82; (Neue l. c. nullum exemplum praebet). Iam vide si placet locorum seriem quibus omnibus codicibus consentientibus forma bisyllaba exstat, quamvis minime metro requiratur:

Andr. 63: ‘cum quíbus erat cumque úna, eis sese dédere’,

ib. 104: ‘fere ín diebus paúcis, quibus haec ácta sunt’,

ib. 691: ‘quibus quídem quam facile pótuerat quiésci, si hic quiésset’,

ib. 758: ‘in quíbus sic inludátis? Veni in témpore’,

ib. 828: ‘quíbus? At rogitas? pérpulisti me, út homini adulescéntulo’,

ib. 835: ‘quíbus id maxume útilest, illum ésse quam detérrumum’,

Eun. 258: ‘quibus ét re salva et pérdita profúeram et prosum saépe’,

ib. 372: ‘tu illís fruare cómmodis, quibus tu íllum dicebás modo’,

ib. 1035: ‘invéntor inceptór perfector, scís me in quibus sim gaúdiis’,

Haut. 388: ‘nam éxpedit bonas ésse vobis: nós quibuscum est res nón sinunt’,

Phorm. 399: ‘dilúcide expedívi quibus me opórtuit’,

ib. 923: ‘quodne égo discripsi pórro illis quibus débui’,

ib. 1026: éxsequias Chreméti quibus est cómmodum ire, ~~me~~ em témpus est’,

Hec. 286: ‘nám nos omnes quíbus est alicunde áliquis obiectús labos’,

ib. 308: ‘faciúnt: nam saepe est, quibus in rebus álius ne iratús quidem est’,

ib. 485: 'quibus íris pulsus núnc in illam iníquos sim',

ib. 526: 'nón sic ludibrió tuis factis hábitus essem. Quíbus? At rogitas',

ib. 644: 'uxórem habes aut quíbus moratam móribus',

ib. 759: 'néc leviorem vóbis, quibus est mínime aequom, eum vidérier',

Ad. 36: 'quibus núnc sollicitor rébus! ne aut ille álserit',

ib. 315: 'tum autém Syrum inpulsórem, vah, quibus íllum lacerarém modis',

ib. 605: 'omnés, quibus res sunt mínus secundae, mágis sunt nescio quó modo',

ib. 822: 'signa ínsunt, ex quibus cóniectura fácile fit'. Quem mirum codicum consensum casui non posse tribui patet: itaque Terentium sic scripsisse et hac quoque in re poesis scaenicae proprietatem agnoscamus oportet.

6. De ablativo 'qui' cum accuratissime nuper egerit O. Kienitzius in Fleckeis. Annal. suppl. X (1878—1879) p. 525 sqq. ('de quî localis modalis apud priscos scriptores latinos usu') neque ullum Terenti locum neglexerit, ad istam delegasse legentes commentationem satis habeo.

7. Pronomen 'cuius, -a, -um' legitur Andr. 763: 'cedo, cuium puerum hic adposisti?', ib. 932: 'cuiam igitur?', Eun. 321: 'virgo cuiast?', Haut. prol. 8: 'cuia graeca sit'. Idem pronomen Brandtius l. c. p. 29 etiam Haut. 996: 'aut scibis cuius sis' agnoscit: cum enim v. 985 'horum' et v. 995 'ambos' dicatur, 'cuius' genetivum esse non posse, nam si id voluisset poeta, 'quorum' eum dicturum fuisse. At hanc ratiocinationem haud rectam esse puto: neque enim genet. 'cuius' oppositus est voci 'ambos' ita ut necessario pluralis desideretur, quoniam loci sententia est: 'aut parentes reconciliabis, aut unde natus sis comperies'; 'ambos' autem Syrus dicit, quoniam cum modo de patre irato et matre filiorum adiutrice verba facta essent, non solum matrem, verum etiam patrem ad misericordiam adductum iri demonstrare volebat. Idem Brandtius etiam Andr. 772: 'ne illa íllum haud novit, cuíus causa haec íncipit' scribendum

proponit (p. 47) 'cuia causa', cum hoc solo loco genetivi forma bisyllaba, tredecim autem locis monosyllaba legatur. Quae mutandi causa satis gravis est, quamquam scriptura tradita sensui melius consuli non potest negari. Idem pronomen praeter Vergilium (Ecl. III, 1) apud Cic. Verr. I 45, 142, III 27, 68 legitur. Itaque iniuria ille qui antibucolica scripsit (Suet. ed. Reiffersch. p. 65, 10) versum illum Vergili exagitans scripsit:

'Dic mihi, Damoeta, cuium pecus, anne latinum?
Non, verum Aegonis nostri sic rure loquuntur'.

Ceterum Brixius ad Trin. 45 haud iure vocem persaepe a (Plauto et) Terentio adhiberi dicit. Plautus certe haud raro hoc pronomine etiam ut relativo utitur cf. Neue II[2] 235.

'Alid' pro 'aliud' iniuria reponebat Bentleius Haut. 331: 'quíd aliud tibi vís? Siquidem hoc fit. Síquidem? experiundó scies' et Hec. 750: 'si áliud scirem, quí firmare méam apud vos possém fidem'. Neque apud Plautum forma reperitur, cf. Ritscheli op. IV 453: 'quibusdam Plauti versibus etsi forma non sane repugnat, tamen nec ullo in loco necessitatem habet et longe plurimis certissime adversatur.'

Formam 'stuc' pro 'istuc' Nonius (p. 219 et 367) duobus locis Terentianis habet Andr. 566: 'at stúc periclum in fília fierí gravest' et Ad. 169: 'nímium stuc abísti: hic propter húnc adsiste: em, síc volo.' Utroque loco eam non requiri in propatulo est, neque quemquam editorum Lachmannum secutum esse video, qui eam valde commendabat atque etiam Ciceroni vindicabat ad Lucret. III 954. E Plauto idem Nonius (p. 476) laudat Bacch. 679: 'iam stoc dicto' et aliis quoque locis formam reposuerunt M. Hertzius et Fleckeisenius, Zur Kritik der altlateinischen Dichterfragmente bei Gellius (Lips. 1854) p. 20. Damnavit [autem eam CFG Muellerus, additam. ad Plaut. pros. p. 158.

Dativum 'me' (Fest. p. 161: 'me pro mihi dicebant antiqui') exstare Eun. 222: 'nimis me indulgeo' (Donatus: 'sic veteres quod nos mihi dicimus', BDE et Dziatzko Mus.

Rhen. XXIX [1874] 462) facile aliquis opinetur collato Haut. 861: ʻnimium illi indulges.ʼ Sed cum legamus Haut. 988: ʻte indulgebantʼ, ubi nemo peritus etiam ʻteʼ dativum exstitisse[25]) contendat, etiam ʻmeʼ l. c. accusativum esse apparet (cf. etiam Lorenz. Mil. 1038).

VERBUM.

I. De formis ad verborum stirpes pertinentibus.

1. Verba per falsam ut ita dicam analogiam falsae coniugationi attributa apud omnes omnis aetatis scriptores reperiuntur (cf. Neue II² 415 sqq.) et formae ʻexorereʼ Hec. 213, ʻorĭturʼ ib. 224 etiam postea solae in usu fuerunt. Apud Terentium leguntur:

Ad. 534: ʻcum fervit maximeʼ (A et Donat., Prob., Priscian.),
Haut. 899: ʻút ne paululúm quidem subolat ésse amicam hanc Clíniaeʼ (sed Phorm. 474: ʻnumquíd patri subolétʼ [codd., Don., Prisc.] et Ad. 117: ʻolet unguentaʼ),
ib. 403: ʻquisnam híc adulescens ést, qui intuitur nós? Ah, retine me, óbsecroʼ,
Ad. 871: ʻódium: ille alter síne labore pátria potĭtur cómmodaʼ,
ib. 876: ʻ..míseriam omnem ego cápio, hic potĭtur gaúdiaʼ,
(Sulp. Apoll. per. Ad. 12: ʻvitiátam potĭtur Ctésipho citharístriamʼ),
Phorm. 469: ʻnéquid propter tuám fidem decépta poteretúr maliʼ,
ib. 830: ʻcurávi propria ut Phaédria poterétur: nam emissást manuʼ (ʻpotireturʼ BDEF et cf. Dziatzko ad h. v.).

---

[25]) Cff. etiam Wagnerus et Dziatzko ad Phorm. 180: ʻtanta te impendent malaʼ.

Quod si Ad. 63 in A legitur: ‘vestítu nimio indúlgis: nimium inéptus es’, errori librarii tribuenda videtur scriptura, cum nihil adnotent grammatici et Haut. 861: ‘nimium illi Menedeme indulges’ exstet. Sat raro igitur eius modi formis utitur Terentius[26]), contra Plautus e. g. verbum ‘fervere’ ubique secundum tertiam coniugationem declinat cf. Brix Mil. 205, de ‘olere’ cf. Brix Mil. 71, ‘venĕre’ Brix Trin. 41, Lorenz Mil. 1001, ‘tui’ Brix Trin. 708, Lorenz Most. 823 et in universum Fr. Schultzius, De obsoletis coniugationum Plautinarum formis (progr. Conitz. 1864) p. 6 sqq. et Schmilinsky, De proprietate sermonis Plautini usu linguarum Romanarum illustrata’ (diss. inaug. Hal. Sax. 1866).

2. Infinitivus ‘emoriri’ ad analogiam quartae coniugationis formatus semel apud Terentium exstat Eun. 432: ‘risu ómnes qui aderant émoriri: dénique’, infinitivi autem ‘emori’ Haut. 971, Phorm. 956 et ‘mori’ Eun. 66. 772 leguntur. Itaque illo loco versus sede formam excusari patet; ‘moriri’ etiam Ovid. Met. XIV 215 in fine versus habet. Plautum ubique (sexies) ‘moriri’ dixisse demonstravit P. Langenius, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus (Lips. 1880) p. 82. ubi etiam ceterae huius verbi formae accurate tractantur. Porro formae ‘congrediri’ et simm. persaepe apud Plautum leguntur (cf. Brix Men. 754, Lorenz Mil. 141), nusquam apud Terentium (Hec. 622: ‘egredi’).

3. Verbi ‘coepio’ forma legitur Ad. 397: ‘prius ólfecissem, quám ille quicquam coéperet’ (Priscian., Donat.; A ‘coeperit’) in fine versus. De Plauto, qui ‘coepio, coepĕre, coepiat’ habet, cf. Brix Men. 960 et Neue II² 616.

Verbum ‘congrueo’ primo aspectu exstare videtur Haut. 511:

‘ne nós inter nos cóngruēre séntiant’

ita enim omnes libri versum exhibent. Difficultatem tollere studuit Harius scribendo: ‘ne nósmet inter nós congruĕre

---

[26]) Eun. 779 est ‘abstergērem’, quod verbum Plautus quoque secundum II coniug. declinare solet cf. Neue II² 424 sq.

séntiant', quod receperunt Fleckeisenius et Umpfenbachius. Wagnerus (ed. Cantabr. 1869) proposuit 'ne nós isti inter etc., ego olim 'illi', quippe quod facillime ante 'inter' intercidere potuerit, inserendum censui. Sed hae omnes emendandi rationes eo laborant, quod iis receptis iustus accentus 'intér nos' (cf. O. Brugmani diss. inaug. 'Quem ad modum in iamb. senar. Romani vett. verborum accentus cum numeris consociarint' [Bonnae 1874] p. 22) deletur. Qua re commotus Wagnerus (in ed. Berol. 1872) ad codices denuo confugiens infinit. 'congruēre' tutabatur Corssenium secutus, qui in libro 'Kritische Beiträge etc.' p. 539 collatis 'terg-, strid-, sorb-, fulg-, tu-' et 'terge-, stride-, sorbe-, fulge-, tue-' stirpibus etiam stirpem 'congrue-' fuisse contendit. Quod ne summa cum iniuria fecerit vereor. Exempla enim analoga omnia ita sunt comparata, ut stirpes longiores sint usitatae, breviores autem e populi sermone volgari repetendae. Nimirum verba alterius coniugationis ad tertiam coniugationem ascendere facile explicatur inde, quod in verbo paullo neglegentius pronuntiato, ut fieri solet in ore populi, ultima stirpis vocalis exteritur. Sed verba tertiae coniugationis stirpibus vocali adauctis secundum alteram coniugationem plebem declinasse, verisimile non est neque unus Terenti locus ad rem incertissimam comprobandam sufficit. Itaque cum Bentleio dicendum: 'apage illud congrueo'. Sed quod ipse scripsit 'consentire' valde dubium est, neque magis assentio Parrio scribenti 'congrediri' quae forma non latuisset grammaticos, qui nihil de hoc versu habent. Porro ipsum congruendi verbum non esse temptandum, docent Phorm. 264: 'ecce aútem similia ómnia: omnes cóngruont' et Plaut. Curc. 264: 'illi inter se congruont'. Itaque scribendum propono:

'ne nós inter nos cóngruisse séntiant'

quae emendatio mihi tam in promptu esse videtur, ut haud sciam, an ante me in eandem quisquam inciderit.

Falsus est Roenspiessius (De coniug. formis apud Ter. etc. Culm. 1873) p. 2 dicens: 'verbum „exerceo" semper alteram coniugationem sequitur uno tantum loco excepto, quo imper-

fecti coniunctivus quartae coniugationis lege formatur Haut. I 1, 91 (143): exercirent'. Verum in codicibus legitur 'exercerent', Palmerius autem coniecit 'exsercirent' collatis schol. Bemb.: 'exercerent resarcirent' et Paul. Festi p. 81: 'exercirent, sarcirent'. Itaque 'exercirent' compositum verbi sarciendi esse ipsa luce clarius est.

4. Stirps temporis praesentis verbi 'attingo' non adaucta legitur Andr. 789:

'novi ómnem rem. est Simo íntus? Est. Ne me áttigas.'

Miro autem modo et libri 'attingas' praebent neque grammatici formam versu postulatam, quam resuscitavit Palmerius, legisse videntur, cum nihil de ea habeant, quamvis laudent locos e Plauto aliisque petitos (cf. Neue II² 412). Quodsi Hec. 136 legitur: 'nocte ílla prima vírginem non áttigit', nescio an eodem modo praesens sit agnoscendum. Nam Parmeno qui loquitur tota oratione praesenti quod dicitur historico utitur, cf. v. 135 'deducit', v. 144 'seducit', v. 145 'narrat', et dicendi finem facit eo, ut ipsum de quo narrat adulescentem faciat loquentem. Vides totum orationis tenorem quodam modo languescere, si 'attigit' perfectum esse statuimus. Sed utcumque res se habet, Terentium formam non adhibuisse nisi in fine versus ex utroque loco apparet. Apud Plautum autem sexies fere hoc verbum [27]) legitur ad certam versus sedem non astrictum, cf. Brix Mil. 1092 et Lorenz Most. 453.

5. Part. perf. pass. 'finctum' solo codice A — Priscianus qui versum bis laudat et Donatus praebent formam volgarem — traditur Eun. 104: 'sin fálsum aut vanum aut fínctumst, continuó palamst' et 'nanctus' Andr. 967, Eun. 556, Hec. 681. 'nactus' vero in omnibus libris legitur Phorm. 81, Hec. 825, Ad. 421, in plerisque atque iis optimis Phorm. 168, Hec. 65, 170. De Plauto cf. Brix Trin. 64 et 114, Schultz l. c. p. 4.

---

[27]) De quo copiose egerunt G. Curtius, de aoristi latini reliquiis Kiliae 1857 et Schleicherus, Compend. der vergl. Grammat. p. 755.

Ceterum persaepe eius modi partic. formas in codicibus reperiri notum, cf. Neue II² 580 al.

6. Perfecti 'posivi' formas Ritschelius restituit: Andr. 729: 'non ápposisse ut líquido possim. Intéllego', ib. 742: 'puer hérclest. mulier tu ádposisti hunc? Úbi illic est?', ib. 763: 'cedo, cuíum puerum hic ádposisti? díc mihi' et Bentleius scripsit Eun. 912: 'qui hunc súpposivit nóbis? Move te oro ócius'. De Plauto ille (op. IV 118) dicit: 'tam constans est in Plautinis comoediis, alteri (scil. perf. posui) ut ne locus quidem ullus relictus sit', qua re commotus etiam quattuor illis locis Terentianis — neque enim plures exstant — formam intulit. Trisyllabi enim 'posui' perfecti usum poetis demum dactylicis, inde ab Ennio, deberi eamque in iambos primum immisisse Lucilium contendit. Ac quamvis fortasse mirum videatur, quod ne uno quidem loco ullum huius formae vestigium in codicibus Terentianis inveniatur — qua causa sine dubio Klotzius et Spengelius commoti sunt, ut eam respuerent —, tamen eam vix a Terentio abiudicaverim. Etenim quod codices nihil de hac forma habent, monendum est Bembinum deficere tribus locis, quippe qui exstiterint in quinionibus illis nunc deperditis. Porro etiam Catull. XXXIV 8 et Cic. Tusc. V 29, 83 forma legenda est, quamquam Ciceronem consulto formam suo tempore sine dubio antiquatam adhibuisse apparet. Locos Plautinos collegit Schultz p. 9.

Quodsi Roenspiessius l. c. p. 3 perfectum 'sini' Andr. 188 exstare contendit, vehementer errat, nam codices habent 'sivi', Gulielmus autem ex Coloniensi scripsit 'sini', itemque L. Schopenius, de Terentio et Donato diss. p. 18, quem secutus est Fleckeisenius. Atque si legimus apud Donatum: 'sivi antique', facile aliquis 'sini' scribendum esse opinetur. Sed recte iam Klotzius Diomedis (p. 374, 13 K.) testimonio: 'sino sivi .... melius tamen dicitur sii' nixus, quid sibi vellet illud 'antique' apud Donatum demonstravit. Atque 'siit' legitur Ad. 104: 'non síit egestas fácere nos. tu núnc tibi', quam formam a Diomede l. c. laudatam unus A servavit. Itaque abiciendum

illud 'sini', quod num umquam exstiterit locis quos Neue II² 489 affert iterum iterumque examinatis valde dubito.

7. Perfectum 'parsi' legitur Hec. 282: 'quám mihi. heu me infelícem, hancine ego vítam parsi pérdere' (Phorm. 44 'compersit' cf. Paul. Fest. 60: 'comparsit Terentius pro compescuit ['compepercit' Bentleius[28]] posuit'), contra forma reduplicata exstat Ad. 562: 'nihil pepercit.' Apud Plautum ubique 'parsi' legi contendit Neue II² 474, sed vide de hac re Lorenz. Pseud. 78.

8. Perfectum redupl. 'tetuli' duobus locis Terentius adhibuit Andr. 808: 'nam pól, si id scissem, númquam huc tetulissém pedem' (cf. Plaut. Men. 629: 'neque hodie huc intro tetuli pedem') et ib. 832: 'ímpetrasti: incépi. dum res tétulit. nunc non fért: feras' neque Catullus (LXIII 47, 52, LXVI 35) sprevit. Perfectum autem volgare legitur Andr. 142, 178, 188, 443, Hec. 128, 568, 594, 709: 'tulit', Phorm. 520, Hec. 87, 685: 'tuli', Eun. 82: 'tulerit', Phorm. 579: 'tulero', Hec. 333: 'tulisse' ut taceam de verbi ferendi compositis (e. g. Hec. 169 'transtulit', 302 'pertulit', 370 'obtulerat', 386 'obtulit', 563 'extulisse', 744 'pertuli', 816 'obtuli', 817 'attuli', 841 'attuleris'). Plautum vero verbi simplicis perfectum 'tetuli' nullo loco excepto adhibuisse[29]) docuit O. Seyffertus, studia Plautina (progr. Berol. 1874) p. 7 (cf. Schultz. p. 17). Duobus locis quibus 'tetuli' apud Terentium legitur, consulto priscam formam a poeta adhibitam esse Klotzius ex parte Donatum secutus suspicatur.

Contra codices, qui praeter B 'praecurrit' habent, legendum est cum Prisc. (I 533, 12 H.) Hec. 371: 'úna illarum intérea propere praécucurrit núntians', quod solum regnavisse videtur ante Ciceronis tempora et postea aeque ac forma sine reduplicatione admittebatur cf. Neue II² 468 sq.

---

[28]) Rectius puto scribendum: 'comparcuit'.

[29]) Sed non persuasisse videtur Seyffertus Goetzio, quem vide ad Aulul. 433.

In Sulp. Apollin. argum. Andr. 4 Fleckeisenius, quem Klotzius et Spengelius secuti sunt, scripsit: ‘fore hánc. nam pater ei áliam despopónderat.’ Sed Terentius ubique ‘despondi’ habet Andr. 102, Haut. 854, Phorm. 925, Hec. 124, Ad. 670, 735) quam ob rem doctum poetae comici imitatorem forma reduplicata ne apud Plautum quidem satis confirmata (cf. Neue II[2] 470) usum esse vix credibile est. Itaque scribendum cum codicibus optimis addita vocula ‘que’:

‘fore hánc: namque aliam páter ei despónderat.’

9. Verba activa, quae postea deponentia esse solebant, leguntur Hec. 829: ‘dicítque sese illi ánulum, dum lúctat, detraxísse’, Andr. 653: ‘scio: cúm patre altercásti dudum, et ís nunc propterea tibi’ (Donatus: ‘legitur et „altercatus es“, non enim alterco dicimus’). Promiscue autem adhibuit Phorm. 505: ‘néque cum huius modi umquam úsus venit út conflictarés malo’ et Andr. 93: ‘nam quí cum ingeniis cónflictatur eíus modi’; Eun. 271: ‘summúm suom impertít Gnatho. quid ágitur? Statur. Vídeo’ et Ad. 320: ‘sed césso eram hoc malo ímpertiri própere? Revocemús. Geta. Hem’ (A, ‘impertire’ rell.; Dziatzko: ‘die Wahl des Deponens beruht wohl auf dem Streben an bestimmten Stellen des Verses langsilbige Thesen zu haben’), deinde Ad. 117: ‘obsónat, potat, ólet unguenta: dé meo’, ib. 964: ‘rés apparet: ét quidem porro haec, óbsonare cúm fide’ et Andr. 451: ‘vix ínquit drachumis ést obsonatús decem’ (codices [‘obsonatum’, quod inde a Bentleio omnes fere editores receperunt, (P corr. man. alt.)]), quam lectionem omnibus fere libris traditam et a Klotzio satis superque confirmatam cur spreverint editores nescio. Quodsi Priscianus (I 396, 17 H) verbum ‘iurgor’ exstitisse apud veteres dicit, certe apud Terentium sola forma activa legitur Andr. 389: ‘cedo quíd iurgabit técum? hic reddes ómnia’, Ad. 80: ‘iurgábit. salvom te ádvenire Démea’ (Sulp. Apoll. ad Ad. v. 10: ‘Deméa iurgare, gráviter ferre: móx tamen’).

Vides igitur paucissima esse apud Terentium exempla, quae ab aureae Latinitatis quam ipsam hic illic eius generis formas

admisisse constat ut ‘tumultuari’ sensu pass. impers., quod etiam Ter. Hec. 336: ‘nesció quid iam dudum aúdio hic tumúltuari mísera’ habet (cf. Neue II² 326), usu recedant. Neque alienum iudicandum est ab aureae Latinitatis usu quod Andr. 331 ‘mereat’, Haut. 83 ‘meruisti’, Ad. 201 ‘promeruit’, Andr. 139, Hec. 580 ‘commerui’, Hec. 631 ‘commeruit’, Phorm. 206 ‘commeruisse’, contra Andr. 621, Haut 815 ‘meritus es’, Hec. 760 ‘meritus est’, Phorm. 1014 ‘esse meritum’, Hec. 486 ‘commerita est’, Phorm. 516 promeritus fueris’ legimus (cf. Neue II² 298 sqq.). A quo quantum differt Plautus, qui ‘amplexo, arbitro, aucupo, auspico, contemplo, crimino, cuncto, fabulo, fluctuo, horto, indipisco, medico[30]), minito, moro, munero, nicto, opino, pacisco, partio, proficisco, sciscito, perscruto, tuto, vago, venero aliaque’ habet (cf. Brix Mil. 172)!

10. Sermonis volgaris vestigia non possunt non notari Eun. 243: ‘ómnia habeo, néque quicquam habeo: níhil cum est, nihil d e f í t tamen’, Phorm. 162: ‘aliis quia d e f i t quód amant aegrest: tíbi quia superést dolet’, Hec. 768: ‘d é f i e r i patiár, quin quod opus sít benigne praébeatur’, quibus locis excusationem habet Terentius versus necessitate, qua impeditus est, quominus verbum ‘deesse’ quod altero imprimis loco aptissimum fuisset (deest — superest) adhiberet. Etiam Plautus (Men. 221) ne contra consuetudinem in medio versu ‘desiet’ dicendum esset: ‘néque defiat néque supersit. Quoius modi ei hominés erunt’ scripsit. Deinde legitur Ad. 946: ‘meritó te amo. verúm. Quid? Ego dicam, hóc quom c o n f i t quód volo’ (Donatus, cf. Dziatzko in append.), ubi aeque atque Andr. 167: ‘qui mi éxorandus ést: et spero c ó n f o r e’ pro verbis simplicibus ‘fit, fore’ horumque instar verba composita formata sunt; valde autem adamasse Terentium verba cum praepositione ‘con-’ iungere docet Meissnerus ad Andr. 167. Ceterum

[30]) Forma huius verbi activa quamvis semper in usu fuerit (cf. Neue II² 296), Terentius tamen deponenti tantummodo utitur Andr. 831 ‘medicarer’, ib. 944 ‘medicari’.

cum posteriores scriptores haud ita raro his formis utuntur, tum saepissime Plautus cf. Neue II² 611.

II. Formae ad verborum terminationes pertinentes.

1. Formae verbi substantivi coniunct. pleniores 'siem, sies etc.' in fine versus leguntur:

Andr. 234, 288, 390, 408, 424, 454, 586, 626, 919.

Eun. 66, 192, 307, 314, 325, 351, 374, 394, 529, 555, 566, 726, 885, 970, 986, 1061.

Haut. 65, 210, 211, 221, 237, 251, 415, 450, 452, 456, 620, 805, 1015, 1018.

Phorm. 446, 508, 514, 635, 675, 806, 887.

Hec. 145, 193, 330, 388, 493, 509, 547, 573.

Ad. 83, 282, 298, 354, 361, 398, 612, 684, 712, 852, 890, 976.

In fine autem prioris tetrametri partis:

Phorm. 882: 'quas cúm res adversaé sient || pauló mederi póssis',

Hec. 737: 'nam ea aetáte iam sum, ut nón siet || peccáto mihi ignosci aéquom' ('sit' A).

Falso leguntur formae pleniores in optimis libris Andr. 619, Haut. 826, Phorm. 825, Hec. 246, 334, 878, Ad. 429 (A 'sit') atque ubique in fine versus, unde patet, iam librarios in hac imprimis versus sede Terentium eas adhibuisse recte perspexisse[31]). Quae cum ita sint etiam Hec. 485 contra A 'sim legendum est pro 'siem', quod defenderunt Fleckeisenius et Wagnerus, qui 'tandem' inseruerunt et versum trochaice, non iambice metiendum esse statuerunt: 'quíbus iris impúlsus tandem núnc in illam iniquós siem?' Sed cum inde ab hoc versu nova oratio, quae senariis iambicis continetur, incipiat, nihil mutandum nisi illud 'siem' uno Bembino traditum apparet.

[31]) Itaque recte Dziatzko ad Ad. 611 in append.: 'Es lässt sich beobachten, dass die Schreiber der Terenzcodices öfters durch die gewähltere Form sich den Text, wie sie meinten, verbesserten'. — In medio versu forma falso legitur Eun. 562, Hec. 860 [A D] et in omnibus libris praeter A Eun. 479 (Andr. 467 BD).

Ac formas pleniores aut in fine totius versus aut prioris versus partis admisisse Terentium Spengelius ad Andr. 234 et Conradtius in Hermae vol. X 100 sq. eodem fere tempore, quamquam iam quinque annis ante CFG Muellerus, additam. p. 83 idem docuerat, perspexerunt locosque qui huic legi repugnant, emendaverunt. Atque in sanandis Haut. 1021: 'nám illi nihil vití est relictum, quín sit id itidém tibi' ('siet' per coniecturam legebatur; QUISITETIDEMTIBI A, 'quin itidem sit tibi' cett.) et Hec. 567: 'nam ut híc laturus hóc siet, || si ipsám rem ut sit rescíverit' (codices mutata utriusque formae sede 'sit — siet') ambo consentiunt. Deinde Ad. 82 sq.: 'quid trístis es? Rogás me, ubi nobis Aéschinus | Siét, quid tristis égo sim? Dixin hóc fore' Ritschelius (proll. in Trin. p. 120) et Spengelius 'Aeschinust? Scin iam quid etc'., Conradtius 'Aeschinust? Sciet', Dziatzko 'Aeschinust? Scies' scripserunt. Denique restat Hec. 637: 'sin ést ut aliter túa siet senténtia', qui versus ceteroqui nullam habet offensionem; certe non meliores sunt versus a Conradtio propositi: 'sin ést uti senténtia aliter túa sit' vel 'sin ést ut aliter de hác tua sit senténtia.' Ceterum cum ipse melius quicquam non possim afferre (similis locus est Ad. 515: 'faciát: sin aliter de hác re est eius senténtia') certam corruptelae medellam nondum esse inventam dicendum est.

Composita verbi substantivi leguntur in fine versus Eun. 685: 'intersiet', Phorm. 313: 'adsient, Ad. 619: 'adsiet'; in prioris partis fine Hec. 735: 'ne nómen mihi quaesti óbsiet: nam móres facile tútor' (Faërnus; codices aperto errore OBSTET).

Formae verbi 'posse' pleniores exstant in fine versus Andr. 874, Haut. 675: 'possiet', Hec. 729 (codd. 'possim'), 766, Ad. 877: 'possiem'; in medio versu Phorm. 773: 'modo ut hóc consilio póssiet || discédi, ut istam dúcat', ubi forma solo A servata est. At etiam Plautum eadem ratione in adhibendis formis plenioribus usum esse docuit Muellerus l. c. Neque prorsus obsoletae fuisse videntur formae Ciceronis temporibus, si quidem ad ista referre licet, quae dicit orat. 47, 157: 'siet plenum est,

sit imminutum: licet utare utroque' et ib.: 'quasi vero nesciamus in hoc genere et plenum verbum recte dici et imminutum usitate.'

2. Formae coniunct. praes. in -im reperiuntur in fine versus:

Andr. 666: 'at tíbi di dignum fáctis exitiúm duint',

Haut. 811: 'ut té quidem omnes dí deae quantum ést, Syre,
cum istóc invento cúmque incepto pérduint',

Phorm. 123: 'homó confidens: qui íllum di omnes pérduint',

ib. 519: 'néque ego neque tu. Dí tibi omnes íd quod es dignús duint',

ib. 713: 'quiétus esto, inquam: égo curabo néquid verborúm duit',

ib. 976: 'malúm quod isti dí deaeque omnés duint',

ib. 1005: 'uxórem duxit. Mí homo, di meliús duint',

Hec. 441: 'cadáverosa fácie. Di illum pérduint.'

In medio autem versu formae volgares leguntur:

Eun. 302: 'ut illúm di deaeque sénium perdant, quí me hodie remorátus est',

ib. 431: 'at té di perdant. Quíd ille quaeso? Pérditus',

Haut. 465: 'sumát consumat pérdat, decretúmst pati',

Phorm. 688: 'ut té quidem omnes dí deae superi ínferi | Malís exemplis pérdant! em siquíd velis',

Hec. 469: 'át istos invidós di perdant, qui haéc libenter núntiant',

Ad. 134: 'profúndat perdat péreat, nihil ad me áttinet',

ib. 714: 'monstrátione mágnus perdat Iúppiter.'

Quae ita se habere iam Spengelius ad Andr. 666 animadvertit. Iam si legimus contra metrum in libris Hec. 134, 'at té di deaeque pérduint cum isto odió Laches', non 'faxint' cum Bentleio, Fleckeisenio aliisque, sed 'perdant' cum O. Schuberto (Symbolae ad Terent. emendand. p. 16) scribendum esse elucet. Nimirum hoc quoque loco formam quaesitiorem aliunde notam inculcaverunt librarii. Ceterum optativi vice eam

saepius adhibitam esse (Cic. in Cat. I 9, 22, Tac. annal. IV 38) notum est.

'Creduas' per coniecturam Faërni necessariam in fine versus legitur Phorm. 993: 'qui hercle úbi sit nescit? Cáve isti quicquam créduas' (codd. 'credas'). Plautum autem, qui praeterea formas 'duas, creduis etc.' (cf. Neue II² 441 sq.) habet, in adhibendis formis in certa versus sede sese non ita constanter continuisse e locis quos Brix Trin. 436, Lorenz Most. 640, Schultz l. c. p. 7 congesserunt, intellegitur. Verum haud silentio praetereundum puto etiam Plautum in illis exsecrandi formulis ('di te perduint [perdant]') eandem observasse legem. Habet enim in fine versus 'perduint (perduit)' Most. 668, Men. 308, 933, Stich. 595, Epid. 66, Curc. 719, Truc. 331, Aul. 785, Merc. 710, 793, Cas. 534, Poen. 601, 853; in fine prioris octonarii iambici partis Men. 451, Asin. 467 (Poen. 731); contra in medio versu[32]) 'perdant (perdat)' Most. 39, 684, Men. 596, 666, Pseud. 251, 837, 1229, Trin. 923, 992, 997, Ep. 23, Curc. 317, 623, Aul. 645, 658, Amph. 570, Merc. 967, Mil. 286, 833, Pers. 622, 784, Capt. 168, 909, Rud. 569, 1112, 1166, Cas. 135, 172, 176, 505, Poen. 579, 854, Cist. II 1, 21. Itaque cavendum est ne contra usum Plautinum formas antiquas mediis versibus inferamus.

3. Coniunctivus 'fuat' reperitur in una phrasi Hec. 610 'fors fuat pol', quam Sostrata mulier (Cic. de orat. III 12, 45: 'facilius mulieres incorruptam antiquitatem conservant') pronuntiat. Qua phrasi inde a Plauto (Pseud. 432) usi sunt scriptores Romani (Neue II² 595). Notum etiam illud Vergili (Aen. X 108): 'Tros Rutulusve fuat.' Bentleius etiam Ad. 855 'fuat' pro 'fuit' scripsit, sed mutandi causa non adest. Apud Plautum 'fuam, -as, -at, -ant' vicies fere leguntur cf. Lorenz Pseud. 412, Brix Mil. 299.

4. Formae perf. coniunct. in -sim (xim) et fut. sec. in -so (xo) apud Plautum plus centiens reperiuntur (cf. Schultz

---

[32]) Flagitante metro etiam in fine versus hae formae leguntur: Pers. 292, 298.

p. 19 sq.) earumque usus tam late patet, ut certis quibusdam finibus circumscribi nequeat. Terentius autem duobus tantummodo locis eis utitur atque utrumque locum si inspicimus legum sermonem consulto imitari videtur poeta:
Andr. 760: 'mané: cave quoquam ex ístoc excessís loco',
Phorm. 742: 'ne me ístoc posthac nómine appellássis. Quid? non óbsecro es.'
Quae cum ita sint, equidem non possum probare Dziatzkonis suspicionem scribendum esse quoniam A 'nosses' pro 'noris' habet, Phorm. 388: 'non díco: quasi non nóssis, temptatum ádvenis' (cf. append. ad h. v.), et ib. 382, cum A NOISSES pro 'nosses' praebeat: 'proinde éxpiscare quási non nossis. Nóssim? Ita.' Ceterum ipse has formas in textum non recepit.

Restat ut afferamus locos quibus 'faxo, faxim, ausim', quas formas apud omnes omnis aetatis scriptores reperiri notum est (cf. Neue II² 542 sqq. et Ed. Luebbert, Grammat. Stud. I 3 sqq.) leguntur:
'faxo' Andr. 854, Eun. 285, 663, Haut. 341, Phorm. 308, 1028, 1055, Ad. 209, 847.
'faxim' Ad. 887, 896; 'faxis' Andr. 753, Haut. 187; 'faxit' Haut. 198, Phorm. 554; 'faxint' Haut. 161, Hec. 102, 354; 'ausim' Eun. 884, 904 ('ausus sim' ib. 1045 in fine versus).

5. Imperfectum quartae quae dici solet coniugationis in -ibam pro -iebam desinens apud aureae aetatis scriptores persaepe exstat veluti apud Vergilium 'lenibant, nutribat, insignibat, vestibat, redimibat etc.' (cf. Neue II² 445 sqq.) et postea in communem volgaremque usum abiit. Plautum utramque formam et in verbis quartae coniug. et in verbo 'aio' admisisse Brixius Trin. append. v. 944 demonstrat (plura vide apud Spengelium 'T. M. Plautus etc.' p. 205 adn.) neque id negat H. Usenerus 'Varronische Excerpte' Mus. Rhen. XXIV (1869) 101 et 111, qui tamen Terentium solas formas in -ibam adhibuisse contendit. De verbo 'aio' idem iam affirmaverat

Bentleius ad Haut. 924, contradixit autem Neueum l. c. secutus Dziatzko ad Ad. 717. Ac quamquam vel A duobus tantum locis (Phorm. 582, 642) eius modi formas servavit, eas his locis necessario requirimus: -id-

Eun. 1004: 'mihi sólae ridiculó fuit, quae quíd timeret scíbam',
Haut. 309: 'ita tímui. At ego nihil ésse scibam, Clínia',
Phorm. 582: 'scibam: ílle si me aliénus adfiném volet',
Hec. prol. 16: 'quia scíbam dubiam fórtunam esse scaénicam' (A G deficiunt),
Eun. 700: 'unde ígitur fratrem méum esse scibas? Pármeno',
Phorm. 529: 'nam híc me huius modi scíbat esse: ego húnc esse aliter crédidi',
Eun. 113: 'neque scíbat neque per aétatem etiam pótis erat',
ib. 155: 'aut égo nescibam, quórsum tu ires? párvola',
ib. 736: 'eho, nónne id sat erat? át nescibam id dícere illam, nísi quia',
Phor. ~~ib.~~ 642: 'a prímo homo insaníbat. Cedo quid póstulat',
Andr. 38: 'proptérea quod servíbas liberáliter',
Ad. 561: 'próduxe aibas? Fáctum: verum vénit post insániens',
Andr. 932: 'quid eám tum? suamne esse aíbat? Non. Cuiam ígitur? Fratris fíliam',
Phorm. 480: 'mánsurusque pátruom pater est, dum húc adveniat. Quíd eum? Ut aibat',
Ad. 717: 'vidísse se aibat quísquam. nunc veró domi',
Andr. 534: 'aliquót me adierunt, éx te auditum qui aíbant, hodie fíliam',
Phorm. 572: 'ad mé profectam esse aíbant. Quid illi tám diu',
Hec. 238: 'énim lassam oppidó tum esse aibant: eo ád eam non admíssa sum.'

Huc apte referre licet etiam Hec. 172: 'horúnc. ea ad hos redíbat[33]) lege heréditas' (codd. 'rediebat'[34]), Fleckeis. 're-

[33]) Haec forma in verbi eundi compositis sola in usu fuisse videtur cf. Neue II² 445 sq.

[34]) Falso Neue l. c. sic legi in Bembino negat.

dierat'). His locis omnes fere editores consentiunt, neque quoniam Phorm. 652: 'nam míhi venibat ín mentem eius incómmodum' scripserunt, ulla erat causa reiciendae formae Hec. 178: 'bene cónvenibat sáne inter eas. ínterim.' Altero autem loco (Andr. 90) haud scio an iure suo formam volgarem servaverint: 'quaerébam: comperiébam nihil ad Pámphilum', ubi aegre ferremus, si ὁμοιοτέλευτον frequentissimum (cf. Hauler, Terentiana [Vindob. 1882] p. 21) deleretur. Adde quod vel metro efflagitatur Phorm. 83: 'ea sérviebat lénoni impuríssimo', quem quidem locum corruptum esse suspicatur Usenerus lacunam post hunc versum indicans, sed necessario non requiri ea, quae excidisse censet ac si legerentur in codicibus re vera minime offenderent, ipse opinor vir doctissimus non negabit. Neque video cur non ea forma Terentium usum esse putemus, quam Plautus iam novit atque adhibuit. Quodsi ea raro apud scaenicos reperitur, id metro explicatur, ut plerique loci Terentiani docent.

Praecepto illi Bentleiano de verbo 'aio' hi versus repugnant: Andr. 930: 'Rhamnúsium se aiébat esse. O Iúppiter. Eadem haéc, Chremes', ubi 'sese' Bentl., ut 'a͡ibat' legeretur; Haut. 924: 'quid fáciam? Id quod me fécisse aiebás parum', ubi si cum Usenero hiatum ('faciam id') quod nova persona loqui incipiat, legitimum statuimus, bene quadrat forma bisyllaba; ib 960: 'híc patrem esse aiébas. Eccum. Quíd me incusas, Clítipho', cui versui facile inferas 'a͡ibas,' si cum libris recensionis Calliop. 'astare' pro 'esse' scribas. Quae mutationes sane haud graves si cui iustae videantur, is Bentleio adsentiatur per me licet, quamquam mutandi necessitatem me non videre ingenue fateor (cf. Meissner ad Andr. 930). Ceterum hoc loco repetere mihi liceat Useneri observationem, qui Catullum formas volgares nusquam, ter formas contractas adhibuisse docuit.

6. Quartam coniugationem cognatam esse primae et sec. coniugat. omnes sciunt. Quid igitur mirum quod futur. IV coni. ad analogiam verborum I et II coni. formabatur? Quae formae

aurea linguae latinae aetate non reperiuntur, sed postea denuo in litteratorum, qui antiquitatis speciem non affectant, sermone apparent (cf. Neue II² 449), unde eas in sermone populari semper mansisse elucet. Sed neque apud Plautum neque apud Terentium hae formae solae adhibentur. Quid quod Plautus utramque formam in uno eodemque versu verboque habet Pers. 15:

'is ést profecto. Eum ésse opinor. Cóngrediar. Contra ádgredibor'.

Atque Terentius habet:

'scibo' Eun. 726, Hec. 246, Ad. 361, 780; 'sciam' nusquam [35] legitur.

'scibis' Eun. 805 (A 'scies'), Haut. 996; 'scies' Andr. 116, 536, 585, Eun. 663, Haut. 95, 331, 612, Phorm. 58, 995, ubique in fine versus excepto Haut. 972.

'scibit' Phorm. 765; 'sciet' Phorm. 584, 'scient' Hec. 868 in fine versus.

'servibo' Hec. 495.

'opperibor' Haut. 619; 'opperiar' Andr. 235, 'experiar' Ad. 350, 497.

'opperibere' Haut. 833, 'experibere' Haut. 824 (in fine versuum); 'experiere' Ad. 888.

Praeterea formae volgares leguntur:

'veniam' Haut. 728, 'inveniam' Eun. 719, 'reperiam' Phorm. 235, 'aperiam' Hec. 628, 'expediam' Phorm. 238, Andr. 617, 'adoriar' Phorm. 605, 'adgrediar' Hec. 731.

'venies' Eun. 53, 'invenies' Andr. 571, 863, 'reperies' Hec. 843, 'audies' Andr. 48, 103, 854, Eun. 571, Phorm. 219, 359, 765 (?); Andr. 579, Hec. 177 quibus duobus locis novissimis exceptis ubique in fine versus, 'expedies' Andr. 617, Hec. 291, 'operiere' Ad. 182.

'veniet' Haut. 553, 725, Hec. 335, 442, Ad. 340, 759, 'inveniet' Andr. 396, 'conveniet' Phorm. 53, 'eveniet' Phorm. 251, 'audiet' Andr. 920, 'sentiet' Eun. 66, Haut. 488, 752,

---

[35]) Id iam observavit Dziatzko Ad. 83 in appendice.

Ad. 139, 'dormiet' Eun. 368, 'resarcietur' Ad. 121, 'ferietur' Phorm. 47.

'veniemus' Phorm. 129, 'adgrediemur' Andr. 670, 'experiemur', Phorm. 538.

'venient' Ad. prol. 23, 'reperient' Phorm. 234, 'aperient' Ad. prol. 23, 'effodientur' Eun. 740.

Qua ex enumeratione redundat formas volgares longe praetulisse Terentium atque imprimis in verbo veniendi, cuius futuro tam frequenter usus est, alteram formam nusquam admisisse, quae sine dubio propter verbi veneundi similitudinem offensionem habebat. De Plauto cf. Neue II² 448, Lorenz Most. 985.

7. Formae perf. 2 sing. per syncopam ortae aeque ac volgares reperiuntur: legitur enim 'dixti' Andr. 518, 621, 852. Eun. 165, 167, 451, 497, 793, Haut. 341, 830 (884 A quem Umpf. secutus est falso pro 'dixi'), Phorm. 390, 537, Hec. 322, 451, 671, 677, 865, Ad. 423, 599, 604 (Umpf. et Speng. 'dixisti') 953; 'dixisti' autem Eun. 376 (codd. 'dixti'); 1017 (codd. 'dixti'), Phorm. 302 (codd. 'dixti')[36]. Etiam Andr. 459 codd. 'dixti' habent, Donatus 'dixisti', unde rectius Bentleius: 'ita pól quidem res est, út dixisti, Lésbia', quam Fleckeis., qui ante 'dixti' 'tu' inseruit. Uno tantum loco codices (praeter DG) 'dixisti' praebent Haut. 436: 'non tu eí dixisti ut éssem? Non. Quam ob rém, Chremes', at si 'illi' pro 'ei' habere Bembinum et 'dixti' esse in DG reputamus, Umpf. recte scripsisse videtur: 'non tu ílli dixti ut etc'. Eadem forma cum codicibus retineri potest si hiatum legitimum, id quod Ad. 604 plerique editores fecerunt, admittimus Andr. 593: 'quid díxti? Optume ínquam factum. Núnc per hunc nullást mora', nisi fortasse 'hem' e

---

[36]) Utroque loco initio versus legitur in codicibus: 'dixti pulchre', unde apparet non cum Fleckeis. 'dixti probe' priore, posteriore loco 'hui dixti pulchre', sed 'dixisti pulchre' pariter esse legendum. Quamquam libenter concedimus formam plenam 'dixisti' perraro apud Terentium legi, qua re sine dubio Fl. ut illo modo versus constitueret, commotus est.

versu antecedente adsciscendum est, ut idem versus initium habeamus atque Eun. 1017: ‘hem quid dixti (‘dixisti’ Eun. v. c.). Optume etc.’ Praeterea exstat:

‘induxti’ (‘adduxti, subduxti’) Andr. 572, 883, Eun. 794, 795, 949, Haut. 819, Phorm. 568, Hec. 292, 689; ‘duxisti’ Hec. 687.

‘intellexti’ Andr. 201, 500 (Speng. ‘intellexisti’) 506, Eun. 768, Phorm. 198; ‘intellexisti’ nusquam legitur.

‘circumspexti’ et ‘prospexti’ Ad. 689.

‘amisti’ Eun. 241 (ABD(?)G ‘amisisti’); Hec. 251 (item), ‘commisti’ Eun. 832 (codd. ‘commisisti’, quod Brugmanus diss. inaug. p. 14 verbis transpositis defendit); ‘promisti’ Ad. 940 (codd. ‘promisisti’); ‘amisisti’ Eun. 322 (A, ceteri codd. cum Donato ‘amisti’, quod non quadrat in versum, neque apte Bentleius addidit ‘illam’ ante ‘amisti’, nam simili utique modo in eodem versu ‘ubi vidisti’ obiecto non addito legitur.)

‘sensti’ Andr. 882 (codd. ‘sensisti’), Hec. 560 (item); ‘sensisti’ Eun. 164, Haut. 495, Hec. 316, 389.

‘exclusti’ Eun. 98 (codd. et Prisc. ‘exclusit’).

‘praescripsti’ Andr. 151 (codd. ‘praescripsisti’);

‘iusti’ Eun. 831 (codd. [A?] ‘iussisti’); ‘iussisti’ Ad. 958 (DEG ‘iusti’).

Denique leguntur ‘risisti’ Haut. 886, ‘processisti’ Ad. 979. Iam si hos locos perlustramus videmus paucissimis locis exceptis syncopam adamasse Terentium in perfecti stirpibus in x desinentibus, quem usum bene noverunt librarii; in stirpibus in s formae plenae et imminutae promiscue adhibentur, librarii autem fere solam volgarem tradunt.

Quod ad infinitivos per eandem syncopam ortos attinet: ‘produxe’ Ad. 561; ‘adduxisse’ Haut. 769, ‘duxisse’ Phorm. 39. ‘decesse’ Haut. prol. 32; ‘intercessisse’ Ad. 349.

‘iusse’ Haut. 1001 (codd. ‘iussisse’ praeter A, qui ‘adripuisse’ i. e. ‘adripi iusse’ habet); contra ‘iussisse’ Hec. 466.

'dixe' Bentleius, quem Wagnerus et Umpfenbachius secuti sunt, scripsit Hec. 845: 'máneo. Sic te díxe opinor, ínvenisse Mýrrhinam', ubi Fleckeisenius leni usus transpositione codicum et Donati lectionem recte tenuit: 'máneo. Sic te opínor dixisse, ínvenisse Mýrrhinam'; deinde 'dixisse' legitur Haut. 937, 942, Phorm. 453, 953, Hec. 451. Sine ulla causa Bentl. scripsit Eun. 900 'perspexe' pro 'perspexisse'. Tum exstant 'detraxisse' Hec. 829, 'neglexisse' Phorm. 54, 'misisse' Eun. 585, 'amisisse' Eun. 767, 'admisisse' Ad. 682, 'commisisse' Andr. 609, 'compressisse' Hec. 828; praevalent igitur formae plenae.

Ac formarum per syncopam ortarum omnium id esse proprium quod ante terminationem plenam '-isti' (-isse) aut s aut x littera exstat, supra iam vidimus (cf. etiam Klotz ad Andr. 151). Quae cum ita sint, perperam sine dubio egit Kochius 'Synkope bei Plautus und Terentius' in Fleckeis. Annal. CIII (1871) 826 sqq., qui Eun. 513: 'ait rém divinam féxe se et rem sériam' scripsit; at in A recte legitur 'fecisse' omisso 'se', neque offendendum esse in subiecto 'se' omisso sescentis locis comprobari potest, cf. Funck 'Die Auslassung des Subjectspronomens im Accus. c. inf. bei den latein. Komikern' in Fleck. Ann. CXXI (1880) 725—734. Neque aliter iudicandum est de Phorm. 723 'fexe', Eun. 463 'fexti' (idem iam Bentl. proposuit, sed in textum recipere non ausus est), ib. 350 'vistin', Hec. 550 'visse', Phorm. 189 'vissem', Andr. 975, Haut. 684 'austin'. Similia etiam Plauto vindicabant Fleckeisenius in Annal. CI (1870) 77 adn. in Epid. III 2, 1: 'fexti iam officium' et Ribbeckius Annal. 1862 p. 371 in Mil. 456: 'muliebri fexti fide'. Sed cum ne uno quidem exemplo eius modi syncopas possimus comprobare, eis utique abstinendum est, cf. H. Schenkelius, studia Plautina (Acta academ. Vindob. 1881) p. 686 sqq.

Ad Andr. 151 Meissnerus cum Terentium multo rarius quam Plautum syncopas adhibuisse affirmaret, ut accuratius in hanc rem inquirerem inductus sum. Neque id frustra. Plane

enim contrarium de usu Plautino contendamus oportet. Exstant igitur hi fere loci:

'dixti' Most. 552, Trin. 556, 567, 602, 655, Curc. 130, Truc. 757, Asin. 823, Merc. 164, 658, 754, Mil. 365, Capt. 155; 'dixisti' Most. 546, Men. 636, 1097, 1098, Asin. 902, Amph. 410, 912, 964, Merc. 206, 658, Bacch. 685, 805, Capt. 890, Pseud. 1220, Curc. 194, Poen. 1341.

'emunxti' Most. 1109; 'emunxisti' Epid. 494, Most. 1110.

'intinxti' Truc. 294.

'depinxti' Poen. 1112.

'devinxti' Asin. 849.

'advexti' Merc. 390, 'avexti' Rud. 862.

'instruxti' Mil. 981; 'instruxisti' Mil. 1100, 1127.

'-duxti' Capt. 1016, Cas. 475; '-duxisti' Curc. 614, Epid. 156, Asin. 544, Rud. 497, Cas. 493.

'intellexti' Rud. 1103; 'intellexisti' Truc. 681.

'iusti' Men. 1046; 'iussisti' Men. 365, 367, 388, Bacch. 727, Mil. 898, 1267, Rud. 332.

'occlusti' Trin. 188.

'promisti' Curc. 705, 709; '-misisti' Aul. 553, Asin. 170, Amph. 602, Merc. 613, Mil. 457, Pers. 483, Bacch. 756, Poen. 415, Capt. 413, Rud. 1217, 1384, 1385, Most. 432, 439, Men. 1055, Stich. 364.

'detrusti' Aul. 335; '-trusisti' Aul. 44, Rud. 1066.

'discesti' Asin. 251; '-cessisti' Asin. 412, Cas. 605.

'scripsti' Asin. 746, 802.

'inmersti' Bacch. 677.

'dixe' Amph. frgm. XI, Poen. 950; 'dixisse' Most. 492, Trin. 556, Amph. 963, Bacch. 807, Mil. 844, Cas. 497.

'inlexe' Merc. 51.

'advexe' Merc. 333; 'advexisse' Merc. 167, 402, Poen. 1003.

'adduxe' Rud. 1047; '-duxisse' Pseud. 1198, Merc. 250, Poen. 517.

'despexe' Mil. 553.

detraxe' Trin. 743.

'admisse' Mil. 1287; '-misisse' Pseud. 901, 985, Curc. 490.

Praeterea exstant formae pleniores hae:

'aspexisti' Bacch. 204, Mil. 1262; 'neglexisti' Amph. 586; nupsisti' Pseud. 314; 'dempsisti' Truc. 264, Bacch. 671; 'sumpsisti' Truc. 843; 'erepsisti' Aul. 628; 'comtempsisti' Asin. 416; 'prompsisti' Mil. 829; 'adspersisti' Epid. 555, Truc. 366; 'mansisti' Truc. 843, Amph. 546, Bacch. 247; 'delusisti' Asin. 677; 'sensisti' Amph. 729; 'vixisse' Most. 1002, Bacch. 150, Capt. 792, Poen. 304; 'gessisse' Most. 776, Capt. 404; 'iussisse' Trin. 779; 'abstrusisse' Aul. 617; 'compressisse' Aul. 689; 'suasisse' Asin. 462.

Qua ex discriptione luculenter apparet formas pleniores longe praevalere apud Plautum atque si formas per syncopam ortas Plautinas cum Terentianis comparamus in sex Terenti fabulis plures eius modi formas reperimus, quam Plautus in viginti comoediis adhibuit.

Quod quamvis primo aspectu miros nos habeat, ita explicandum censeo, ut hac in re sermonis urbani familiaris proprietatem agnoscamus. Ceterum has formas etiam apud Ciceronem reperiri monuit Buechelerus Mus. Rhen. XI (1857) 509, veluti ad Att. XII 42, 1. Fin. II 3, 10 'dixti', pro Sest. 12, 28 'dixet', ad Att. XIII 32, 3 'intellexti', ib. V 9, 2 'rescripsti' (cf. Neue II² 536 sqq.)

8. Imperativus 'face' in fine versuum legitur Andr. 680, 821, 833, Eun. 90, Haut. 80, Phorm. 397, 674, Ad. 241, 906. In medio autem versu ante vocalem codices eandem formam tradunt Andr. 712: 'ut dúcam. Ridiculum. Húc face ad me ut vénias, siquid póteris.' Legitur autem 'fac' ante vocales Andr. 408, 483, Eun. 189, 207, 281, 362, 477, 534, 769, Haut. 550, 925, Phorm. 671, 784, Hec. 764, Ad. 706; ante consonantes Eun. 196, 311, 320, 476, 501, 815, 1042, Haut. 84, 925 ('fac té patrem esse séntiat: fac ut aúdeat'), Phorm. 933, Ad. 381, 511, 512, 756, 813, 842 ('hodié modo hilarum fác te. Et istam psáltriam' A, ceteri codd. 'te fac', unde Bentleius 'te face'), 909, 940, 942. Iam si quindecim locis formam volgarem

libri[37]) ante vocales praebent, sine dubio rectius agemus, si eandem etiam Andr. 712 restituimus cum Schuberto l. c. p. 16, quam si Ritschelium sequimur, qui certe de Plauto ante vocales ubique 'face' scribendum esse affirmavit (cf. op. II 545). Quodsi Terentium ante consonantes certe nusquam 'face' dixisse constat neque omnino in medio versu sic scripsisse veri simile est, idem de Plauto non valere, ex exemplis quae Neue II² 439 profert examinatis intellexi, quamquam etiam Plautum, ut fert vocis natura, eam longe plurimis locis in fine versus adhibuisse dicendum est.

Imperativus verbi simplicis 'duce' nusquam legitur apud Terentium: neque enim poterat adhiberi in fine versuum iambicorum. In verbis autem compositis formae longiores melius sese conservasse videntur. Leguntur enim ante consonantes:

Ad. 482: 'susténtat: hunc abdúce, || vinci quaére rem',

ib. 917: 'tu illás abi et tradúce. || Di tibi, Démea'.

Ante vocales in omnibus melioris notae libris:

Haut. 744: 'ancíllas omnes Bácchidis tradúce huc ad vos própere':

In solo A:

Eun. 538: 'abi, Dórias, cito húnc deduce ad mílitem'.

In omnibus praeter A codicibus:

Ad. 910: 'tradúce et matrem et fámiliam omnem ad nós. Placet' (A TRADUCET),

Phorm. 309: 'abi Phaédria eum requíre atque huc addúce. Eo' (ceteri libri falso habent 'adduce huc'),

ib. 410: 'dotís dare, abduce hánc, minas quinque áccipe',

Hec. 605: 'mi gnáte, da veniam hánc mihi, redduce íllam. Vae miseró mihi'.

Contra omnes libri formam volgarem praebent ante vocales Hec. 654: 'reddúc uxorem ac nóli adversarí mihi', ib. 698: 'reddúc uxorem, aut quam ób rem non opus sít cedo', (ante consonam Eun. 377: 'age eámus intro núnciam: orna me,

---

37) Versum Andr. 483 scholium Bembin. in Ad. III 4, 36 sic praebere: 'face illam ut lavet', nolo silentio praeterire.

ábduc, duc quantúm potest’). Ac duobus quos primos attulimus locis formae plenae retineantur necesse est: excusantur autem quod in fine prioris versus partis utroque pariter loco exstant. Quod argumentum non omittere debebat Schubertus, si locis qui restant formas volgares a quibus non recessisse Terentium nisi necessitate coactum restituendas esse voluit nobis persuadere (l. c. p. 17). Dziatzko autem (Jenaer Literaturzeit. 1878 p. 309) locis quibus syllaba stirpis ultima ictu efferatur, formam pleniorem, breviorem quibus adverbium praecedens ictum habeat, scriptam esse a Terentio contendit, quae sententia quamvis non plane comprobetur codicibus, habet tamen quo commendetur. Sed utut est, ante consonantes certe formis plenis Terentius non usus est nisi ante caesuram. Ceterum simplicis verbi imper. ‘duc’ ubique (Andr. 818, Eun. 377, Haut. 432, Phorm. 103, 718, Ad. 506) ante consonas legi addere haud supervacaneum est. Plautus autem et simplicis verbi imperativum plenum habet neque in compositis ad certam versus sedem eum adhibet astrictum (cf. Neue II[2] 439).

Imp. ‘dice’ nusquam a Terentio scriptus esse videtur eodem utique modo quo simplex ‘duce’. Quod inde quoque apparet quod quamvis imperativus plus quinquagies in Terentio exstet atque ante vocales quinquies (Andr. 873, Eun. 724, Phorm. 447, 712, Ad. 572), ne minima quidem vestigia formae plenae in codicibus apparent. Itaque neque ego probare possum coniecturam Fleckeiseni scribentis Hec. 803:

‘áccedebam: aduléscens dicedúm quaeso es tu Mýconius?’

Confirmatur enim codicum lectio ‘dicdum’ etiam Eun. 707: ‘díc dum hoc rursum, Chaérea tuam véstem detraxít tibi’. Neque tamen placet quod Goveanus, Bentleius, Umpf., Schubertus (p. 15) scripserunt:

‘áccedebam: aduléscens dicdum quaéso tun es Mýconius’,

sed collatis Andr. 324, Eun. 360 ‘eho dum dic mihi’ (cf. Andr. 667, 931, Phorm. 748), Haut. 310: ‘age dum vicissim Syre dic’ scribendum proponimus:

‘áccedebam: age ádulescens dicdúm quaeso es tu Mýconius’.

Quodsi olim Dziatzko ad Phorm. 478 in adn. scribendum proposuit: ‘eho díce mihi quid reí tibist cum fámilia hac unde éxis’ ne ‘mihi’ legeretur, nunc ipsum aliter statuere puto. Est autem ‘eho dic mihi’ phrasis a comicis valde adamata, quae saepius reperitur in Terentio (Andr. 667, 931, Eun. 360, Andr. 324). At Plautus ‘dice, addice, indice, benedice’ habet cf. Brix Capt. 356, Lorenz Most. 830, Neue l. c.

9. Infinitivi in -ier apud Terentium hi exstant *in fine versus*:

Andr. 203 deludier, 275 immutarier, 332 apiscier, 573 claudier.

Eun. 164 claudier, 225 immutarier, 509 labefactarier, 510 accersier, 572 ducier, 699 dicier, 890 opperirier.

Haut. 206 convivarier, 268 suspicarier, 300 demunerarier, 413 excruciarier, 716 adsimularier, 923 auxiliarier.

Phorm. 92 mirarier, 206 immutarier, 305 commonstrarier, 306 demonstrarier, 406 apiscier, 535 exorarier, 589 experirier, 603 utier, 632 mollirier, 640 pervenirier, 697 depravarier, 931 ignorarier, 978 asportarier, 1021 defungier.

Hec. 104 percontarier, 316 fabularier, 759 viderier.

Ad. 200 tradier, 273 auxiliarier, 607 ludier (Bentl.; A claudier).

In fine prioris versus partis Hec. 827:

‘nescío quid suspicárier, || magis coépi instare ut dícat.’

Restat unus locus qui repugnat Ad. 535: ‘laudárier te audít lubenter: fácio te apud illúm deum’, ubi sine dubio ille infinitivus eodem modo librariis male doctis debetur, quo Andr. 500 ‘adsimularier’ et ib. 689 ‘sollicitarier’ pingui isti Minerva exaraverunt. Verborum igitur transpositione, qua identidem loci Terentiani corrupti sanari possunt, adhibita non dubitabimus cum Conradtio (Metrische Composition der Comödien des Terenz p. 112) et Dziatzkone scribere: ‘laudári te lubénter audit: fácio te apud illúm deum’.

Atque hanc sermonis Terentiani proprietatem eodem fere tempore demonstraverunt Spengelius ad Andr. 203 et Con-

radtius Herm. X 104 (ubi 'audit laudari te lubenter' proposuerat) neque aliter rem se habere in fabulis Plautinis Spengelius in libro 'T. M. Plautus. Kritik, Prosodie und Metrik' (Gotting. 1865) p. 224 docuit. Sed miror omnes fugisse commentationem illam egregiam Ludovici Langii, cui inscripsit 'Ueber die Bildung des latein. Infinit. Praes. Passiv.', actis academiae Vindobonensis X (1860) 1—58 insertam. Accuratissime enim totam ille huius infinitivi historiam conscripsit locosque omnes congessit[38]). In Plauto igitur formae in -ier 168 locis in fine versus, 9 locis ante caesuram, semel alio loco reperiuntur, quem aeque mutandum atque unum illum Terentianum ipsa res clamat. Quam ob rem prompta est coniectura ceteros quoque scaenicos eandem observasse legem, id quod haud neglegendum est in adornandis constituendisque illorum fragmentis. Quod ad poetas qui hexametro dactylico usi sunt, attinet, eos hoc infinitivo insequente vocula a vocali incipiente usos esse idem Lange demonstrat.

ADVERBIA.

1. Adverbium loci pronominale 'illi' solus codex Bembinus nobis tradit:

Phorm. 91: 'intérea dum sedémus illi, intérvenit',

Hec. 802: 'ítaque ineptus hódie dum illi sédeo, ut quisque vénerat',

Ad. 844: 'eo pácto prorsum illi ádligaris fílium',

---

[38]) Cum loci Terentiani apud Langium hic illic dispersi neque sub uno conspectu sint positi, eos ex schedis meis huc transscribere haud inutile duxi, imprimis cum Neue l. c., ad quem Conradtius l. c. legentes delegat, non omnes praebeat locos.

ib. 716: 'quo nón? neque fabrica illi úlla erat nec frátrem homo' (A 'illi fabrica ulla', transposuit Bentleius; 'illi fabrica' omisso 'ulla' Dziatzko Fleckeisenium secutus qui tamen 'illic' scripsit),

Phorm. 572: 'ad mé profectam esse aíbant. Quid illi tám diu' (Fleck. et Wagn. 'illic'),

Ad. 525: 'príus nox oppressísset illi, quam húc reverti pósset iterum', sed in versu sequente etiam A habet: 'núnc ubi me illic nón videbit, iam húc recurret, sát scio', qua re sine dubio commoti Fleckeis. et Wagn. etiam in antecedente versu 'illic' scripserunt, sed potius contrarium cum Spengelio (cf. edit. append.) statuendum esse videtur.

Forma per inscitiam librariorum in omnibus codicibus servata est Ad. 116: 'mihi péccat: ego illi máxumam partém fero', Phorm. 772: 'veríssime. Ut stultíssime quidem illí rem gesserímus' (cf. Wagn. et Dziatzko ad h. v.); etenim pronominis dativum adesse isti opinabantur. Praeterea Donatus 'illi' legit Andr. 638, quem sic dedit Umpfenbachius: 'ubi ópus est: illi úbi nihil opúst, ibi veréntur', multo rectius opinor quam Fleckeisenius, qui scripsit: 'ubi opúst: illic úbi[39]) nil opúst ibi veréntur', quamquam de hoc et antecedente versu nondum satis constare mihi videtur.

Contra codices propter metrum 'illi' scribendum est:

Andr. 745: 'quid túrbaest apud forúm? quid illi hominum lítigant',

Hec. 94: 'nam illi haúd licebat nísi praefinitó loqui | Quae illí placerent..' (Donatus 'illi'),

ib. 217: 'múlto melius híc quae fiunt quam ílli ubi sum adsidué scio',

ib. 438: 'non pósse, ne me frústra illi exspectét vola',

Ad. 577: 'quódnam? Illi ubi etiám caprificus mágna est. Novi. Hac pérgito'.

---

[39]) 'Illi ubi' sollemnis esse videtur formula apud Terentium cf. Hec. 217, Ad. 577.

Qui restant loci utramque formam admittunt Andr. 720, Eun. 130, Haut. 834, 882, Hec. 185, Ad. 526 (de quo versu supra iam diximus).

Phorm. 284 Fleckeis. scripsit: ‘ita eúm tum timidum illíc obstupefecít pudor’, sed A ‘ibi’ habet, cum ceteri libri vocem omittunt. Atque codicis A lectionem posse teneri Bentleius mihi persuasit, nisi fortasse ‘illi’ quis quo fortius vestigia Bembini premat, scribere mavult, quod per me licet. Certa igitur lex de discrimine utriusque formae non potest reperiri: sed non possum silentio praeterire nullum apud Terentium exstare locum[40]), in quem forma ‘illi’ non quadret. De Plauto cf. Brix Capt. 275, Mueller, prosod. 331 sq., Neue II² 629.

2. Hec. 297 rectissime Bothius, quem omnes editores secuti sunt, approbante Ritschelio (op. II 459) scripsit: ‘vix me íllim abstraxi atque ímpeditum in ea éxpedivi animúm meum’, ubi A ‘illi’, ceteri libri ‘illinc’ praebent. Etiam Eun. 662 metrum turbatum est in codicibus: ‘quo ille abire ignávos possit lóngius, nisi sí domum’, ubi scribendum videtur: ‘quo illím possit abíre ignavos lóngius etc.’; neque enim placet Fleckeiseni emendatio ‘quo illíc abire ignávos etc.’, cum pronom. masc. ‘illic’ ultimam syllabam apud Terentium non habere correptam nequeat demonstrari (vide exempla in adnotatione novissima congesta). Praeterea exspectamus notionem unde abierit eunuchus, quod bene iam Bentleius intellexit scribens ‘quo hinc ílle abire ignávos etc.’ Itaque si non placent quae supra proposuimus, ne ulla sit opus verborum transpositione, versus sic redintegretur oportet: ‘quo illínc abire ignávos possit lóngius nisi sí domum’. Legitur autem ‘illinc’ ante vocalem Ad. 731, ante consonas Andr. 814, Eun. 628, Ad. 226, 232, 674. De formae usu Plautino cf. Ritscheli op. II 453 sqq., Brix ad Men. 800.

---

[40]) Andr. 458, 607, 742, Phorm. 183, Andr. 438 (Andr. 934) ‘illi’ est nominativus pronominis masculini (Haut. 199 ‘illicine’ e Fleckeiseni coniectura).

3. Adverbium ‘isti’ non exstat apud Terentium, sed in Plauto haud raro reperitur cf. Brix Capt. 275; ‘istic’[41]) ante vocalem legitur Ad. 644, ante consonas Andr. 420, 572, 849, Eun. 171, 388, 909, Haut. 354, 380, 518, 1053 (A ‘istuc’), Hec. 114, Ad. 133, 350 956 (codd. ‘istuc’).

4. Ante vocalem ‘istinc’ est Hec. 339. De Plauto cf. Lachmannus ad Lucr. III 881.

5. Usque ad imperatorum Romanorum aetatem solam adverbii formam ‘hoc’ pro ‘huc’ in usu fuisse Buechelerus, lat. decl. p. 102 adnotat. Ac genuinae lectionis vestigia haec latent in Terentio:

Eun. 501: ‘fac cúres, si Chremés hoc forte advénerit’ (soli DG qui antiquioris scripturae tuendae duces praedicantur ‘huc’),

ib. 394: ‘triúmphat. Hoc províso ut ubi tempús siet | Dedúcam..’ (‘huc’ cett. codd. et corr. ant. in A),

Ad. 878: ‘blánde dicere aút benigne fácere, quando hoc próvocat’ (A; ‘huc’ DG, ‘eo’ cett.),

Hec. 348: ‘iam eá te causa máxime nunc hóc intro ire nólo’ (A; ‘huc’ rell.),

Phorm. 152: ‘puer heús, nemon hoc pródit? cape, da hoc Dórcio’ (A; Fleckeis. cum cett. ‘huc’).

Eandem formam agnoscunt Donatus Ad. 225: ‘coemísse hinc quae illuc véheres multa, návem conductam: hóc scio | Animús tibi pendet..’ (sed cf. Dziatzko ad h. v.), et Wagnerus Eun. 114: ‘mercátor hoc addébat: e praedónibus’, quibus locis cum omnes libri mm. eandem formam exhibeant, librarii pron. accusativum adesse sine dubio statuerunt; neque hercle adest causa cur nos aliter censeamus. Denique e codice P, neque dubito quin idem habuerit A, dederunt Umpf., Speng., Meissn. Andr. 386: ‘ut ab ílla excludar, hóc concludar. Nón itast’ (CDEG ‘hac’, quod aperte correctorem sapit, qui ‘hoc’

---

41) Eun. 953, Haut. 562, 593, Phorm. 995 ‘istic’ est nominativus pronominis masculini.

ante oculos habuit, cf. Donat.: 'mire hanc [Glycerium] cum pronomine significat, dicens „ab illa"; illi [Philumenae] nec sexum servavit ne uxor esse videatur', quam ob rem etiam in lemmate apud Donatum pro 'hac' scribendum esse 'hoc', quam formam illum bene nosse adnotatio eius ad Ad. 225 demonstrat, apparet; B 'huc', quod Fleck., Klotz., Wagn. tenent). In omnibus autem codicibus 'huc' legitur Andr. 70 (codd. 'huic') 266, 485, 507, 567, 579, 594, 712, 748, 807, 808, 818, 900, 909, 952, 980, Eun. 99, 120, 158, 189, 228, 289, 342, 343, 345, 352, 470, 472, 493, 517, 671, 708, 774, 777, 796, 944, 945, 996, 1025, Haut. 150, 174, 604, 723, 744, 745, 762, 903, 904, Phorm. 177, 309, 464, 480, 482, 776, 865, 878, 981, 982, Hec. 91, 169, 175, 190, 285, 298, 384, 462, 502, 504, 683, 720, 733, 754, 793, Ad. 435, 525, 526, 550, 635, 646, 649, 673, 731, 757, 766, 775, 889, 921, 970.

De formae usu in Plautinis codicibus cf. Brix Capt. 477, Wagner Aul. 630. Quodsi Lorenz ad Mil. 759 'hoc' inquit 'schreiben die besten Handschriften öfter für huc, so dass eine solche Nebenform zum Letzteren angenommen werden zu müssen scheint', fere contrarium statuendum videtur ita ut is vix possit vituperari qui constanter in Plauti Terentique fabulis solam 'hoc' formam restituerit.

6. 'Illo' metro efflagitatur et a Donato confirmatur Andr. 362: 'cum íllo advenio, sólitudo ante óstium: iam id gaúdeo' (G in ras., 'illoc' D, 'illuc' rell.). Etiam Eun. 572: 'ut véstem cum eo mútem et pro illo iúbeam me illoc dúcier' nescio an consulto poeta propter antecedens 'pro illo' scripserit 'illo', quod quodam modo opinor comprobatur eo quod haec vocula non legitur in A, cuius librarius dittographiam falso evitaturus eam omisisse videtur. In omnibus libris 'illuc' est Andr. 81, 266 ('huc vel illuc') Eun. 537, Haut. 793 ('eo nunc' libri praeter A), Phorm. 310 (Donat. in lemm. 'illo'), Ad. 168, 190, 225, 843 (D 'illum').

7. 'Isto' eodem modo quo 'isti' non exstat in Terentio; 'istoc' nonnulli libri, inter quos G, habent Ad. 169, 'istuc' omnes praebent Eun. 706, 1068, Haut. 274, Ad. 821.

8. 'Praeterhac' Bembinus habet Phorm. 800, quam lectionem immerito Fleckeisenius respuit Ritschelium sine dubio secutus qui op. II 271 Terentium praeter 'antehac, posthac, postilla' ullam eius modi formam novisse negavit. Sed hac in re Bembini auctoritas potior est neque assentior Lorenzio qui ad Most. 75 'praeterhac' esse Plautinum idemque significare quod apud posteriores scriptores 'posthac' contendit; hoc enim non comprobatum video exemplis quae Neue II² 680 congessit. Itaque vehementer etiam dubito, num recte exhibeant libri Ad. 847 'praeter haec', quamvis editorum nemo quod sciam locum temptaverit.

'Posthac' legitur Andr. 26, 611, Eun. 898, Haut. 347, 590, 679, 1031, Phorm. 142, 742, 1050, Hec. 57, 405, 533, 659, 819, Ad. 135, 565. Recte autem libri praeter BCDG Ad. 318 'post haec' habent, quod 'posthac' non dicitur nisi de rebus futuris ita ut semper sit oppositum adverbio 'antehac' (cf. Spengel. ad h. v.); 'antehac' Andr. 187, 303, 917, (alt. ex. v. 15), Haut. 270, Phorm. 4, Ad. 86, 250 (omnibus locis bisyllabum); 'postilla' Eun. 127, Haut. 447, Phorm. 347, 705, 1018, Andr. 936 (de quo cf. Ritschel. l. c.); 'quapropter, intereā, propterea, posteā' cum sint formae notissimae, locos Terentianos hic afferre supersedeo. Ceterum etiam 'illi, illim, illo, hoc (huc), praeterhac' hic illic vel in Ciceronis codicibus inveniri optimis constat cf. Neue II² 629—633, 680.

Restat denique ut Plautum quamvis in adhibendis eius modi formis non ita multum differat a Terenti sermone, tamen imprimis eorum adverbiorum quae e praepositione et pronomine constant, plures quam Terentium formas adhibuisse afferamus (cf. Ritschel. l. c.).

9. Andr. 483 Fleckeisenius scripsit:

'nunc prímum fac ísta ut lavét: poste deínde'

quoniam si cum codicibus 'post' legeremus, 'deïnde' esset pronuntiandum. Id autem evitasse Terentium re vera hi loci docent quibus 'dein, proin, deinde, proinde' legitur: Andr. 79, 408, 441, 562, 707, Eun. 56, 106, 593, Haut. prol. 3, 19, 65,

177, 864, Phorm. 382, 668, Hec. 143 in iambicis senariis, Eun. 593 in iamb. sept., Andr. 707, Hec. 218 in troch. sept., Haut. 177 in troch. octon. Sulpicius Apoll. autem in arg. ad Hec. 5 habet: 'deïn profectus Imbrum est: nuptam haud áttigit', ubi Fleckeis. 'dein ést profectus Imbrum etc.' scripsit. Ac certe ille formam monosyllabam habet in arg. ad Phorm. v. 9: 'pater ét Chremes revérsi fremere. deín minas'. Sed ut revertamur unde orsi sumus, facere non possum quin Spengelio adstipuler, qui nescio an recte metro bacchiaco 'deïnde' excusari contendat. Porro si formulam 'post deinde' iam in lege duodecim (Gell. XX 1, 45) exstitisse reputamus et ipse Ritschelius qui formam 'poste' in Plauto resuscitavit (op. II 541 sqq.) eam in septimi saeculi legum inscriptionibus utpote tum antiquatam nusquam legi concedit, non possumus eo adduci ut Terentium antiquae formae tenaciorem ipsis legum titulis uno nixi loco credamus. Eun. 493 A habet: 'simul ímperabo: post continuo exeo', ubi ut versum efficeret, 'poste' Fleckeis. scripsit, cui emendationi etiam maiorem veri similitudinem afferre videbantur verba Donati: 'legitur et „postea“ et „post“' (cf. Mueller. pros. Plaut. 460). Ac 'postea' in BCEFP etiam nunc legimus. Sed genuinam lectionem praebent DG, quam quin amplexemur, ne minima quidem subest dubitatio: 'simul ímperabo: póst huc continuo éxeo' (cf. Haut. 502: 'continuo hic adsum', Ad. 757: 'post huc redeo'). Plauto autem saepius formam vindicandam esse nunc omnes consentiunt (cf. Brix Men. 839).

10. Adverbium 'celere' exstare videtur Phorm. 179: 'núllus es, Getá, nisi iam aliquod tíbi consilium célere reperis' cf. Charis. p. 214, 14; Donatus autem et Prisc. I 335, 7 nomen adiectivum hoc loco agnoscunt. Neue II² 659 qui locum Terentianum neglexit, laudat Plaut. Curc. 283: 'íta nunc subito própere et celere obiéctumst mihi negótium', quem versum si respicimus nulla potest esse dubitatio, quin Terenti quoque loco adverbium quam adiectivum statuere multo probabilius sit.

11. 'Interdius' Bembinus et Donatus habent Ad. 531: 'intérdius: sed si híc pernocto, caúsae quid dicám, Syre',

ceteri libri formam volgarem 'interdiu' praebent. Plautus sexies formam priscam habet cf. Brix Capt. 727, Lorenz Most. 429, sed minus placent, quae hi Corssenium secuti de formae origine disputant: neque enim veteris accusativi plur. vestigia in ea inesse videntur, sed genetivi, de quo adeas Buecheler. lat. decl. p. 63.

12. Plenum adverbium in voce tradendi Donatus[42]) legit ad Phorm. prol. 2: 'retráhere a studio et tránsdere hominem in ótium' adnotans: '„transdere" veteres sonantius, quod nos lenius dicimus „tradere"'. Porro 'mavolo' in fine versus legitur Hec. 540: 'quámvis causam hunc súspicari quam ípsam veram mávolo', quam formam pleniorem valde adamavit Plautus (cf. Neue II² 606 sq.).

13. Formam 'hau' exhibent Bembinus Hec. 591 (HAUTUA) et P Andr. 460 'hau ferme', qua cum lectione conferendum est quod codex C 'aufer me' habet. Unde sane probabiliter conicias in codice ex quo hi fluxerunt, 'hau' fuisse scriptum. Cf. de forma Ritschel. proll. p. C sqq., opp. II 591 adn., Lorenz Most. 770.

Haec habui dicenda de formis apud Terentium vetustis. Nunc autem breviter complecti liceat, quibus potissimum rebus sermo Terenti a Plauti sermone, si formas vetustas ab utroque poeta adhibitas respicimus, differat.

---

[42]) Exquisitae antiquitatis specimen idem Donatus nostrae memoriae tradidit ad Phorm. 330 sq.:

'quí istuc? Quia non réte accipitri ténditur neque míluo,
quí male faciunt nóbis: illis quí nil faciunt ténditur'

adnotans: 'legitur et „tennitur." habet enim N littera cum D communionem'. Quam formam haud temere abiciendam puto ut prava populi pronuntiatione (Schuchardt, Vocalism. des Vulgärlat. I 146) natam. Immo veteres sic dicebant, id quod etiam a Nonio (p. 6 a ed. Bas.) confirmatur, unde Plaut. Mil. 1407 nunc legitur: 'úbi lubet. dispénnite hominem dívorsum et disténnite'.

Ac primum videmus

I Plautum permultas formas habere, quae apud Terentium non amplius reperiuntur, veluti — ut gravissima tantum ne longus sim attingam —:

1. Genetivus sing. stirpium in -a desinentium in -as cf. p. 13.
2. Earundem stirpium genetivus sing. in -aī cf. quae disputavimus p. 14.
3. Vocativus ‘puere’, quo non usum esse Terentium p. 17 demonstrasse nobis videmur.
4. Ablativus sing. in -d desinens cf. Buecheler, lat. decl. p. 93, Ritschl, Nov. excurs. Plaut. I, Bergk Symb. ad gramm. lat. I Auslautendes d im alten Latein (Halis 1870).
5. Stirpium in -o desinentium nominativus plur. in -is cf. Buechel. p. 37, Brix Mil. 40, Lorenz Mil. 373.
6. Stirpium in -e desinentium genetivus sing. in -es cf. Buechel. p. 66, Neue I² 378.
7. Genetivus ‘mis, tis’ pro ‘mei, tui’ cf. Buechel. p. 75, Brix Trinumm. 343.
8. Accusativus ‘med, ted’, quos frusta impugnavit Umpfenbach, Meletemata Plautina (Gissae 1860) p. 3—47, cf. Ritschel. op. IV 466, Lorenz Pseud. 14, Neue II² 181.
9. Ablativus ‘ibus, hibus’ et sim. pro ‘eis, his’ cf. Brix ad Capt. argum. v. 5, Neue II² 196.
10. Forma ‘danunt’ pro ‘dant’ duodeciens fere cf. Ritschel. op. IV 134, Schultz, de obsoletis verb. formis apud Plautum p. 5.
11. Futurum III coniug. ‘reddibo’ cf. Schultz p. 18, Brix Men. 1040.
12. Imperativus sing. pass. in -mino cf. Lorenz, Pseud. 837, Neue II² 398.
13. Infinitivus futuri activi in —(a)ssere cf. Lorenz Mil. 1118, Neue II² 541.

14. Forma, de qua ‘homo, homōnis’ cf. H. Usener, Pseudoli scaena II p. 9, Lorenz Pseud. append. ad 734 (Philol. XXX 600).

15. Nominativus ‘itiner’ pro ‘iter’ cf. Neue I^{2} 188; nom. ‘lacte’ cf. Lorenz Mil. 240, Brix Men. 1089.

16. Verbum ‘bitere’ (betere, baetere) pro ‘ire’ et composita cf. Brix Capt. 377, Lorenz Most. 1082, Pseud. 756, Fr. Leo epist. Plaut. Mus. Rhen. XXXVIII (1883) l. c.

17. Verbum ‘clueo’ cf. Brix Trin. 309, Lorenz Pseud. 570.

18. Verba ‘dehibeo, praehibeo’ quae sola novit Plautus pro ‘debeo, praebeo’ cf. Langen, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus p. 273.

19. Verbum ‘spicere’ (specere) cf. Brix Mil. 697; ‘īcere’ cf. Brix Mil. 28.

20. Adverbium ‘simitu’ pro ‘simul’ cf. Brix Trin. 223, Lorenz Most. 779.

21. Adverbium ‘interibi’ cf. Brix et Lorenz ad Mil. 104.

22. Formae ‘cubi, cunde etc.’ cf. praeter Ritschelium Brix Trin. 158.

23. Adverbia ‘poste, postid’ cf. Ritschel. op. II 564 sqq., Brix Trin. 529.

Sed haec hactenus. Iam si inquirimus

II quae formae sint pariter ab utroque adhibitae, hae sunt:

1. Formae coniunctivi verbi substantivi pleniores ‘siem’ etc. quae a Plauto aeque atque a Terentio in certis tantum versuum sedibus admittuntur.

2. Item infinitivi praes. pass. in -ier.

3. Imperfectum IV coniug. in -ibam et futur. in -ibo, quorum hoc fortasse paullo rarius, illud eodem modo quo Plautus adhibuit Terentius.

4. Perfectum ‘posivi’ solum omnes poetae scaenici adhibuisse videntur.

5. Genetivi et dativi sing. V declinationis in -e et -ĕĭ, quamquam in eo differt a Plauto Terentius, quod non amplius ‘rēĭ’ habet.
6. Genetivus IV declin. in -i et dativus in -u.
7. Pronomina secundum flexionis nominum analogiam declinata.

Porro si colligimus quae ex nostra redundant quaestione intellegimus

III formas vetustas quae a Plauto constanter adhibentur vel certe longe praevalent, Terentium aut nusquam aut non usurpasse nisi rarissime, longeque plurimis locis formam volgarem habere veluti

1. Nominativum plur. pron. fem. ‘haec’ Plautus ubique, Terentius ante vocales tantummodo adhibet.
2. Uterque poeta quamvis pariter adhibeat ‘ipsus’, Terentius non amplius habet ‘eapse, eumpse etc’.
3. Substantiva heteroclita perpauca habet Terentius.
4. Formam ‘dextera’, quae tam saepe in Plauto reperitur ut Ritschelius eam solam regnare contenderit, non admisit Terentius nisi in fine versus.
5. Vocem ‘volup’ qua identidem utitur Plautus adverbii vice, Terentius in una formula ‘volupest’ admisit.
6. Genetivum plur. II decl. in -um Terentius in fabulis ipsis raro adhibet, contra prologi hac in re congruunt cum usu Plautino.
7. Adiectivum ‘potis’ cum verbo substantivo coniungere solet Terentius, quod saepissime omittit Plautus.
8. Verba secundum falsam analogiam declinata, frequentissima apud Plautum, rarissime reperiuntur in Terentio.
9. Infinitivus ‘moriri’, quem solum novit Plautus, semel legitur apud Terentium (‘emoriri’), contra quater forma volgaris exstat.
10. Formae verborum activorum, quae postea deponentia esse solebant, plus centiens in Plauto

reperiunter, cum Terentius fere prorsus cum posteriorum temporum usu consentit.

11. Coniunctivum 'creduas' Terentius semel in fine versus admisit, itemque 'fuat' in una phrasi, 'duit (duint)' non dixit nisi in fine versus: Plautus et has formas ipsas et his similes saepissime ac nulla coercitas lege adhibet.

12. Formas a verbis 'attigo, coepio' derivandas bis habet Terentius in fine versus: eorundem verborum formas varias praebet Plautus.

13. Bis Terentius 'tetuli' scripsit, quaterdeciens formam volgarem: Plautus ubique perf. priscum habet; eodem modo semper fere dixit 'parsi', cum formam reduplicatam aeque atque illam usurpat Terentius.

14. Perf. coni. et fut. sec. in -sim (-xim), -so (-xo) plus centiens Plautus, Terentius bis certa commotus causa perfecti formam istam adhibuit.

15. Imper. 'dice' et simpl. 'duce' Terentius nusquam, 'face' in fine versus adhibet: hos omnes imperativos habet Plautus neque in certa versus sede sese continet.

16. Aliquotiens 'defit' propter versus necessitatem dicit Terentius, plurimas eius modi formas habet Plautus.

Ex his igitur, quantum discrimen sit inter Plauti et Terenti sermonem, quod ad formas priscas ab utroque adhibitas attinet, ipse colligas.

Verum etiam a ceteris poetis comicis mirum quantum differt hac in re Terentius, quod vel ex laceris illorum fragmentis nobis licet colligere. Veluti Caecilius habet 5 'noltis', 9 'med', 16 'edim', 17 'opino', 29 'eumpse', 75 'ted', 90 'coepiam', 100 'puere', 140 'limassis', 176 'danunt', 215 'collus', 219 'perbitant', 225 'utrasque (gen.)'. Porro Terenti aequales Turpilius 112 'limassis', 121 'vagas' (153 'praestolabo', 192 'demeres'

[pro 'demereris']), 159 'intui', 207 'itiner', atque Titinius 17 'perbiteres', 33 'fuam', 59 'ibus', 65 'ted', 78 inf. 'biber', 97 'faciatur', 105 'nevult', simm. suppeditant. Quid quod in Afranio, qui post Terentium scripsit, talia reperimus qualia sunt 50 'partisset' (319 inf. 'ordire'), 77 gen. 'quie', 83 'fortunassint', (264 'mactassint'), 193 'puere', 201 'me adiutamini', 227 'scicidistis', 230 gen. 'ipsi', 246 'frigit' (269 'fervit'), 280 'fuas', 325 gen. 'toti familiae'?

Nonne haec exempla a grammaticis nobis tradita egregie demonstrant nos iure Terentium in sermone quodam modo novarum rerum fuisse studiosum supra esse suspicatos: studebat enim ille comoediae sermonem ad eam accommodare urbanitatem, qua nobilissimi civitatis quibuscum familiariter vixit utebantur. Unde haud scio an explicandum sit quod quasdam habet Terentius formas, quas frustra quaeras in fabulis Plautinis neque ceteri comici adhibuisse videntur. An mero casui praestat attribuere quod poeta tanto opere adamat formam 'necessus', qua P. Scipionem quoque in oratione usum esse forte fortuna scimus? Vel si Plautum ceterosque comicos constanter genet. sing. IV decl. in -i adhibuisse videmus, Terentius autem formas in -uis quoque habet, nonne quodam modo praeivisse videtur doctrinam eorum, qui 'non aliter elocuti esse et scripsisse' dicuntur? Certe utraque forma a comicorum (etiam posteriorum) sermone prorsus erat aliena: quas cur tamen admiserit, haud difficile est dictu de poeta, qui non tam populo scripsit quam hominibus nobilibus, quorum captans applausum ipse de se dicit Ad. prol. 18:

'eam laúdem hic ducit máxumam, quom illís placet'.

Quam ob rem tot annis post vel Cicerones et Caesares lectum atque elegantem Terenti sermonem laudibus extulisse non miramur. Quid? Nonne unus ex atavis nostris iure contendit Terenti sermonem multo similiorem esse Ciceronis quam Plauti? Nimirum, si exceperis formas 'ipsus' et futurum IV coniugationis in '-ibo', quotquot habet formas vetustas Terentius, eaedem

hic illic apud eos, qui adultae Latinitatis aetate scripserunt leguntur.

Sed haec sufficiant. Satis enim numeris locisque demonstrasse nobis videmur, quanta sit opus cautione, ne temere antiquitatis Plautinae inferamus comoediis Terentianis speciem, quam ipse effugere studuit poeta. Haec autem studia si fortasse digna habeantur quae iterum legantur, fore ut alio loco etiam de rationibus prosodiacis, de vocabulorum usu, de syntaxi apud Terentium disputemus hasce curas redintegraturi bene speramus.

APPENDIX.

Ad Adelph. v. 181 Dziatzko in commentario bonae frugis pleno haec adnotat: 'Die Endung der Umgangssprache re statt ris ist bei Terenz, wenn nicht metrische Gründe wie He c. 317 die vollere Form empfehlen, die regelmässige'. Quae rectissime observata esse nemo infitias ibit: sed demonstrare posse nobis videmur formam pleniorem in Terentio omnino esse damnandam. Quem ad finem locos Terentianos huc spectantes sub uno conspectu hic afferre iuvat:

Andr. 703: 'scio quíd conere. Hoc égo tibi profécto effectum réddam',

ib. 915: 'nón ita arbitrére: bonus est híc vir.' Hic vir sít bonus',

Eun. 212: 'ne istúc tam iniquo pátiare animo.' Mínime: qui effectúm dabo',

ib. 219: 'nam aut iám revertere aút mox noctu te ádigent horsum insómnia',

ib. 275: 'quam hoc múnus gratum Tháidi arbitráre esse? Hoc nunc dícis',

ib. 372: 'tu illís fruare cómmodis, quibus tu íllum dicebás modo',

ib. 717: 'áctumst, siquidem tú me hic etiam, nébulo, ludificábere',

ib. 731: 'vidére mihi quam dúdum! Certo tú quidem pol multo hílarior',

ib. 735: 'nihil díxit, tu ut sequerére sese? Níhil, nisi abiens mihi ínnuit',

ib. 900: 'parúm perspexisse eíus videre audáciam'.

ib. 975: 'quem praéstolare, Pármeno, hic ante óstium',

ib. 977: 'quem praéstolare? Périi: lingua haerét metu. Hem',

ib. 1020: 'sed ín diem istuc Pármenost fortásse, quod mináre',

Haut. 59: 'quod míhi videre praéter aetatém tuam',

ib. 66: 'ita atténte tute illórum officia fúngere',

ib. 175: níhil adhuc est quód vereare, Clínia: haud quaquam étiam cessant',

ib. 345: 'datúr, fruare dúm licet: nam néscias',

ib. 374: 'laudábis. Vide sis. Tútimet mirábere'.

ib. 443: 'primum ólim potius quám paterere fílium',

ib. 490: 'vidére vera atque íta uti res est dícere',

ib. 611: 'nón emo: quid ágis? Optata lóquere. Quí? Non ést opus',

ib. 657: 'cógnovi, ad te exílui. Quid nunc súspicare aut ínvenis',

ib. 691: 'Antíphila mea nubét mihi. Sicíne mihi interloquére',

ib. 765: 'vah, glóriare evénisse ex senténtia',

ib. 812: 'huiús modi mihi res sémper comminíscere',

ib. 824: 'ludís fortasse me? Ipsa re experíbere',

ib. 833: 'tu hic nós, dum eximus, ínterea opperíbere',

ib. 869: 'ut istám rem video, istíus obsaturábere',

ib. 939: 'nequíd vereare. sí minus: nihil nos dós movet',

ib. 1040: 'quó modo obsequáre et ut serves quód labore invénerit',

Phorm.: 61: 'verére verba ei crédere? ubi quid míhi lucri est',

ib. 173: 'at tú mihi contra núnc videre fórtunatus, Phaédria',

ib. 492: 'nondúm mihi credis. Háriolare. Sín fidem do? Fábulae',

ib. 573: 'quaeso ígitur commorábare, ubi id audíveras',

ib. 854: 'nám sine controvérsia ab dis sólus diligere, Antipho',

ib. 871: 'quód? Quodnam arbitráre? Nescio. Atqui mirificíssimum',

Hec. 70: 'hiscíne tu amabo nón contra insidiábere',

ib. 213: 'tu sóla exorere, quaé perturbes haéc tua inpudéntia',

ib. 293: 'quid cónsolare me? án quisquam usquam géntiumst aequé miser',

ib. 339: 'nunc ád eam visam. Heus, Sóstrata. Hem. Iterum ístinc excludére',

ib. 427: 'quod núnc minitare fácere ut faceres, Sósia',

ib. 676: 'aut quíd sit id quod sóllicitere ad húnc modum',

ib. 755: 'pólliceare illís. exple animum eis téque hoc crimine éxpedi',

ib. 764: 'fác eadem ut sis pórro: nostra utére amicitia, út voles',

Ad. 136: 'iráscere? An non crédis? repeton quém dedi',

ib. 181: 'nam sí molestus pérgis esse, iam íntro abripiere átque ibi',

ib. 182: 'usque ád necem operiére loris. Lóris liber? Síc erit',

ib. 224: dum huic óbsequare. praéterea autem te aíunt proficiscí Cyprum. Hem',

ib. 512: 'fac cónsolere. ego Mícionem, si ápud forumst',

ib. 685: ín qua civitáte tandem te árbitrare vívere',

ib. 726: 'oho, scís et patere? Quídni patiar? Díc mihi',

ib. 850: 'nunc míhi videre sápere. atque equidem fílium',

ib. 888: 'hoc vérumst est ipsa re éxperiere própediem',

ib. 891: 'o quí vocare? Géta. Geta, hominem máxumi'.

Quibus locis omnibus codices non discrepant, nisi quod G Eun. 212 'paciaris' (correctum in 'paciare' man. sec.) et Ad.

891 'vocaris' praebet adversante aperte metro loco priore. Restant autem Haut. 701, qui versus in libro Bembino sic traditus est:

'quid dícam? quam causam ádferam? Quin nólo mentiáris',

ubi ceteri libri excepto D[2] et testimonia habent 'mentiare', et Hec. 317:

'pro Iúppiter, clamórem audivi. Túte loqueris, mé vetas',

quo uno loco omnes codices formam pleniorem exhibent. Atque in priore quidem versu excepto Umpfenbachio omnes quod sciam editores breviorem verbi formam exaraverunt, quod quin recte fecerint dubitari nequit, cum etiam Eun. 1020 et Haut. 691 in fine iambici septenarii eadem forma exstet. Neque dubito quin idem de altero quoque loco sit statuendum. Quodsi Dziatzko l. c. propter rationem metricam formam pleniorem commendari affirmat, libenter quidem concedimus in illa versus iambici octonarii sede syllabam longam saepius inveniri apud Terentium, sed minime desunt versus eodem utique modo formati, quo ille de quo agimus. Plane autem similis est clausula versus Plaut. Poen. 851 (Gepp.):

'nám nostrorum némo dignust. Lépide loquere. Mé decet',

ubi nullam enotavit Geppertus codicum discrepantiam. Quae cum ita sint, etiam Hec. 317 scribendum esse 'loquere' Terentiumque nusquam formam pleniorem adhibuisse contendimus. Nullam igitur veri speciem e. g. habet Kraussi emendatio ad Ad. 191 (Mus. Rhen. VIII 558), quam Spengelius dignam habuit quam commemoraret in appendice:

'minís viginti tu íllam emisti? Lóqueris. Tibi vortát male'

ubi 'loqueris' ille haud insagaciter scripsit pro eo quod est in codice Bembino 'id quae res'.

Etiam Plautum formas plenas raro adhibuisse adnotavit Brixius ad Trin. prol. 1 et in append. ad Trin. 789 haec adiecit: 'Die Form arbitrare hat Plautus neun Mal, an drei Stellen sogar vor dem letzten Creticus, wo er doch sonst gern eine Länge anbringt; auch anderwärts sind Formen wie mereris (Trin. 659), loqueris Merc. III 3, 20, fatearis Mil. II 3, 64,

egrederis Most. II 1, 72, mentiris Truc. II 2, 18, Gron. und Amph. I 1, 188 als falsch erkannt worden.' Iam hi sunt loci, quibus codices formam breviorem exhibent, atque in fine versuum: 'aspernere' Most. 189, 'amplectare' Most. 322, 'amplexabere' Pseud. 722, 1043, 'amplèxare' Asin. 619, 'arbitrare' Truc. 136, 164, 'arbitrere' Merc. 528, Rud. 705, 'ariolare' Asin. 579, Cist. IV 2, 80, Rud. 347, 'adgredere' Asin. 714, 'calefactabere' Cas. 296, 'commentabere' Truc. 737, 'excruciabere' Mil. 843, 'exsequare' Truc. 462, 'fabulare' Mil. 424, 925, Rud. 1325, Cist. IV 2, 54, 'flagitabere' Pseud. 556, 'lamentere' Merc. 502, 'largibere' Bacch. 828, 'largiere' Mil. 1243, 'loquere' Pers. 323, Cas. 107, 'opperibere' Bacch. 48, 'percontabere' Trin. 881, 'perpetiare' Pers. 279, 'querere' Most. 217, 'tutere' Rud. 696, 'utere' Pseud. 826, 'verberabere' Mil. 1412, 'videre' Poen. 1183, 'vorsabere' Cas. 50.

Ante vocales formae in -re leguntur: 'arbitrare' Cas. 181, 'arbitrere' Amph. 905, 'arbitrabare' Pseud. 798, 'auferere' Curc. 569, 'adiuvabere' Aul. 193, 'concludere' Cas. 42, 'confitere' Pers. 214, 'compingare' Poen. 1393, 'emoriere' Truc. 624, 'emungare' Cas. 287, 'exordire' Bacch. 127, 'experiere' Truc. 529, 'fabulare' Stich. 589, 'fungare' Asin. 813, 'fateare' Mil. 335, 554, 'gravare' Rud. 438, 'ingrediare' Pers. 607, 'licitere' Merc. 441, 'locere' Cist. II 3, 18, 'loquere' Most. 512, 519, Epid. 236, Amph. 973, Merc. 168, Bacch. 720, 'minare' Men. 868, 'minitare' Pseud. 1325, Curc. 571, 'morare' Poen. 352, 'nugare' Merc. 183, 'obloquere' Men. 152, 'obsequare' Amph. 705, 'opinare' Capt. 619, 'opinere' Poen. 518, 'opperiare' Pseud. 321, 'patere' Pseud. 1134, 'pergraecere' Poen. 594, 'pollicere' Bacch. 185, 'pollicitere' Mil. 1058, 'rere' Trin. 415, Amph. 659, 'ulciscare' Trin. 619, Epid. 269, 'utare' Trin. 1065, Capt. 202, 'videare' Most. 812, 'videre' Epid. 10, Capt. 120.

Ante consonas 'accipiere' Amph. 355, Pers. 31, 'advorsere' Cas. 150, 'arbitrare' Men. 744, Trin. 952, Truc. 296, Aul. 212, Capt. 709, Cas. 141, 'ariolare' Asin. 924, 'ausculere' Merc. 575, 'commorare' Merc. 874, 'conare' Trin. 675, 'con-

sectare' Mil. 1113, 'cruciere' Asin. 709, 'egredere' Most. 419, 'exungare' Rud. 580, 'fabulare' Pseud. 1147, Epid. 147, Trin. 480 ('fabularis' A), 502, 'fateare' Mil. 661, 'fatere' Pseud. 488, Aul. 644, Asin. 883, 'graderere' Pseud. 1236, 'gravare' Stich. 476, Rud. 440, 'infitiare' Amph. 779, 'invehere' Merc. 998, 'iocare' Poen. 161, 'irascare' Curc. 186, 'lamentare' Pseud. 313, 'loquere' Most. 13, Pseud. 1236, Aul. 190, Asin. 477, Merc. 581, 982, Mil. 615, Pers. 219, 849, Capt. 960, Rud. 782, Poen. 851, 1306, 'mentire' Poen. 285, 754, 'merere' Trin. 659, 'mirere' Mil. 1274, Poen. 1357, 'mirare' Pseud. 443, Curc. 449, 'morere' Mil. 1361, 'morare' Men. 152, 1146, Poen. 911, 'minitare' Truc. 621, Bacch. 786, 'mulcabere' Bacch. 934, 'obtuere' Most. 69, Bacch. 669, 'obloquere' Cist. IV 2, 88, 'patiere' Asin. 378, Cist. II 1, 24, 'pollicere' Truc. 374, 'rere' Asin. 525, 'reperiare' Capt. 610, 'remorare' Cas. 598, Cist. III 1, 12, 'sequere' Cas. 3, 'sectarere' Bacch. 15, 'speculare' Cas. 659, 'ulciscare' Rud. 698, 'utere' Pers. 19, 'vereare' Trin. 808, Capt. 349, 'videare' Truc. 299, 'videre' Most. 51, Men. 1074, Pseud. 611, Capt. 866, vocare' Amph. 382, Mil. 436.

Ad omnium vero vel certe optimorum codicum auctoritatem omnes fere editores formas pleniores volgares exaraverunt his locis:

Most. 1081: 'quíd iam? Scio, iocáris nunc tu: nam ílle quidem haud edepól negat',

ib. 1178: 'quíd gravaris? quási non cras iam cómmeream aliam nóxiam',

Men. 256: 'ne tu hércle opinor nísi domum revórteris',

ib. 298: 'pro sáno loqueris, quóm me appellas nómine',

Pseud. 237: 'in rém quod sit, praevórtaris, quam re ádvorsa animo auscúltes',

ib. 1047: 'ubi pércuncteris me [ínsidiis hostílibus],

Trin. pr. 1: 'sequere hác me, gnata, ut múnus fungarís tuom',

ib. 708: étiam ob stultitiám tuam te túeris? multam abómina',

ib. 789: 'nonne árbitraris túm adulescentem ánuli' (cf. Brix ad h. v.),

Epid. 5: 'sátis recte oculis úteris',

ib. 583: 'tuóm vocas me atque ósculаris, quíd stas stupida? quíd taces', (A, 'obsculare' I),

Curc 200: 'pótine fieri ut ínmodestis tuís modereris móribus' (FI 'moderere'),

Truc. 143: 'illa, haúd ego, habuit públicum: pervórse interpretáris',

Aul. 152: 'tua dícta soror: lapidés loqueris',

ib. 211: 'dúm quidem ne quid pérconteris, quód mi haud lubeat próloqui',

Asin. 611: 'quor érgo minitarís mihi te vítam esse amissúrum',

Amph. 344: 'áin vero? Aio enimvéro. Verberó. Mentiris númciam' (Fleck. 'mentire'),

ib. 369: 'át mentiris étiam: certo pédibus, non tunicis venis',

ib. 702: 'étiam tu quoque ádsentaris huíc? Quid nunc vis fíeri',

Bacch. 569: 'quíd, duae? Atque ambás sorores. Lóqueris nunc nugás sciens',

Mil. 505: 'ibi dúm condignam té sectaris símiam',

ib. 1171: 'quásique eius opuléntitatem réverearis: ét simul',

Pers. 744: 'te quóque etiam ipsum ut lámenteris. Occidi',

ib. 747: 'nonne ántestaris? Túan ego causa, cárnufex',

ib. 749: 'qui hic cómmercaris cívis homines líberos',

Capt. 963: 'éia, credo ego, ínperito plágas minitarís mihi',

[Rud. 161: 'qui Herculis socius esse diceris'],

ib. 792: facito ístuc quod minitáris. sed nunc ínterim',

Cas. 102: 'tú quidem advorsús tuam rem istaéce loqueris ómnia',

Poen. 1076: 'profécto uteris, út voles, operám meam',

Cist. IV 2, 84: 'mentíris. nam mea géstitavit, nón tua'.

Quibus locis inspectis decies fere formam volgarem necessario requiri apparet: itaque eam non prorsus posse moveri e textu Plautino patet neque quicquam relinquitur, nisi ut sequamur auctoritatem codicum Plautumque quamvis valde adamaverit formam breviorem, tamen formas in -is quoque admisisse statuamus. Atque apud Plautum 170 fere locis forma brevis, 30 plenior reperitur: iam si Terentium 56 locis formas in -e, nusquam formam alteram adhibuisse reputamus, hac quoque in re apertum esse discrimen inter Plauti et Terenti sermonem apparet.



CONSPECTUS LOCORUM QUI AUT EXPLICANTUR AUT EMENDANTUR.

Nicht behandelt sind d.-Secund.-zuf.-Endes, Kr.-Endes.